De tragoediarum Graecarum conformatione scaenica ac dramatica.

Dissertatio inauguralis
quam
ad summos in philosophia honores
ab amplissimo
philosophorum ordine Gottingensi
rite impetrandos

scripsit

Demetrius Detscheff
Svistovensis.

Typis expressit St. Athanasoff
Sardicae
MCMIV.

De tragoediarum Graecarum conformatione scaenica ac dramatica.

Dissertatio inauguralis
quam
ad summos in philosophia honores
ab amplissimo
philosophorum ordine Gottingensi
rite impetrandos

scripsit Detčev
Demetrius Detscheff
Svistovensis.

Typis expressit St. Athanasoff
Sardicae
MCMIV.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulerunt Fr. Leo et Ed. Schwartz. — Examen rigorosum habitum est a. d. VII Kal. Mart. a. MCMIII.

PRAEFATIO.

Quas vias tragoediarum conformatio scaenica ac dramatica inde ab Aeschylo usque ad Senecam perfecerit, cum nemo adhuc data opera ostenderit, hoc libello eam lacunam artis tragicae cognoscendae pro virili parte explere ausus sum[1]). Ac ne quem fugiat, quid significet illa conformatio scaenica ac dramatica, de qua, ut dixi, in hoc opusculo disputaturus sum, statim addo, me eam tragoediarum conformationem dicere scaenicam, quae ab introitu et abitu histrionum chorique pendet, dramaticam autem, quae in progressu actionis evolvendae cernitur.[2])

Ad propositum exsequendum subsidium quam maximum haec scripta mihi tulerunt:

1) G. Hermanni editio libri de Arte Poetica Aristotelici, Lips. 1802, p. 130 seq., in quibus libri illius C. 12, § 1, 5, 7, 4; C. 18, § 9 ita explicantur, ut recte intellegantur.

---

1) Haec tota dissertatio est pars prima eius libri, quem de conformatione scaenica ac dramatica fabularum inde ab Aeschylo Aristophaneque usque ad Terentium Senecamque conscribere mihi proposui.

2) Cave, ne propter titulum libri Custavi Oehmichenii „de compositione episodiorum tragoediae Graecae externa" (Erl. 1881) censeas, illum nostrum propositum tetigisse. In „symmetria" enim „dramatica Aechylea vocum, personarum, motuum" excogitanda fere totus iste liber (p. 38—77) consumitur: tantum p. 32—37 Aeschyli distributio scaenica leviter perstringitur.

2) O. Müller, Scholien zu den Versen des Tzetzes, Mus. Rhen. 1837. V, ubi parodi doctrina (p. 360—365) et epiparodi natura (p. 370—371) bene illustrantur.

3) Vahlen, Beiträge zu Aristoteles' Poetik, Sitzungsbericht der philos.-hist. Klasse der Wiener Akademie, LII (1866), quae symbolae praecipue propterea magni aestimandae sunt, quia in iis ratio inter μετάβασιν Aristotelicam et peripetiam anagnorismumque vere intercedens ostenditur. Cf. p. 94, 132.

4) R. Westphal, Prolegomena zu Aeschylos' Tradödien, Leipzig, 1869, in quo libro sententiae de choricorum distributione in tragoediis Aeschyleis (p. 1—14, 188—194) et de parodo stasimoque Aristoteleo prolatae quam maxime laudandae sunt.

5) De Arnim, dissert. inaug. prologorum Euripideorum arte et interpolatione, Gryph 1882, qua dissertatione vir doctus primus, ut videtur, prologi Euripidei naturam detexit. Cf. p. 80—100

6) Ulrich von Wilamowitz-Möllendorf, Euripides' Heracles, Einleitung in die attische Tragödie, Berl. 1889, p. 49—90, quibus fundamentum solidum atque inconcussum huius dissertationis eflectum esse per se intellegitur.

7) Friedrich Leo, Plaut. Forsch., Berl 1895, in quo libro, p. 170—173 de significatu prologi eiusque conformatione, p. 205—209 de ortu doctrinae quinque actuum eiusque usum [3]), quatenus ex testimoniis ad eam pertinentibus ab eoque collectis [4]) apparet, luculentissime ac firmissime disputatur.

8) Bethe, Prolegomena zur Geschichte des Theaters im Altertum, 1896, in quibus p. 27—47 de ortu tra-

---

[3]) Cf. etiam Mus. Rhen. 52, p. 510.

[4]) Cf. Leo, die plaut. Cantica u. die hellenistische Lyrik (in Abh. der königl. Ges. der Wiss. zu Göttingen, N. F., B. I, 1897), p. 112, adn. 1. Ceterum ad testimonia a Leone collecta accedunt Luciani π. ὀρχ. 66; Cic. de sen. 5, 64; Apul. flor. p. 169, 21 (VI.), quos locos ille mecum benigne communicavit.

goediarum, p. 188—190 de origine prologorum ingeniose ac sagaciter iudicatur.

Praeter ea, quae hactenus enumeravi, quamquam satis mediocriter, tamen aliquo modo me adiuverunt etiam haec opuscula:

1) Ellendtii de prol. trag. Gr. dissert., 1819, Berol., cuius dissert. auctor aliquid veri de duplice via expositionis sc. narrativa et actuosa perobscure sensisse videtur. Cf. p. 26.

2) Firnhaber, Jahn's Archiv für klass. Phil. 1815, p. 556—557, quo loco aliquid a veritate non multum abhorrens de natura prologorum statuitur.

3) Leop. Schmidtii de parodi in trag. Graec. notione disp., Bonnae 1855, p. 17, 18, 24, in quibus scriptor aliquid de grammaticorum definitione parodi ad probandum satis firmum protulit.

4) Aschersonii de parodo et epiparodo trag. Graec. diss. inaug. 1856 Berol., in qua ea, quae O. Müllerus p. 360—365, p. 370—371 Mus. Rhen. V de parodo et epiparo do breviter, ur rei ipsi convenit, exposuit, ab eo in longum protracta sunt[5]).

4) Kleinii progr. Bonn., 1855—56, de partibus formisque quibus tragoediam constare Arist. voluerit, cuius libri meritum in eo positum est, quod ibi primum verba illa A. P. C. 12 κοινὰ (μὲν) ἁπάντων ταῦτα et quae seq. apte et apposite ad persuadendum explicata sunt.

6) C. G. Vossii de trag. Graec. prologis diss. inaug. Berol. 1864, ubi ea, quae de pârodo disseruntur (p. 6—18), aliquo modo lectu digna esse non negabo.[6])

---

[5]) Nuper Jos. Aschauer in suo libro, qui inscribitur „Ueber die Parodos u. Epipàrodos in der griech. Tr." (Gymn. Progr. von Oberhollabr. 1887), satis dextera manu omnes sententias adhuc de hac re a viris doctis prolatas congessit.

[6]) Quae Vossius in Progr. der lat. Hauptsch. in Halle 1873 de prol. Eur. disseruit, ea potius silentio praetermittenda sunt.

7) Ascherson, Umrisse der Gliederung des griech. Drama's, Fleckeisen's Jahrbücher für klass. Philol., Supplb. 4 (1861—67), p. 435—448, quod scriptum testimonia Grammaticorum ad stasimum et exodum pertinentia ab eo dilligenter collecta ac perspicue disposita praebet.

8) Myriantheus, die Marschlieder des griech. Drama, Müncher, 1873, p. 20, 76, 111—122, 140—141, quorum locorum vis in exodo, parodo, episodio, stasimo distincte definiendis ostenditur.

9) Christian Muff, die chorische Technik des Sophocles, Halle 1877, ubi p. 40 vir doctus aliquid de commi natura ac significatu recte animadvertit.

10) W. Christ, die Teilung des Chors im attischen Drama, Abh. der bayer. Ak. 1878, cuius scripti pondus praecipue ad rationem, qua chorica in universum a choro cantabantur vel agebantur, pertinet. Cf. p. 203, 210.

11) E. Hiller, Beiträge zur Griech. Litteraturgesch. 2. Zu den Nachrichten über die Anf. der Trag. N. R. M. 36, p. 321—338, in qua symbola vir doctus testimonia ad primordia tragoediarum spectantia strictim exminare sibi proposuit.

Jmpedimento potius quam emolumento haec scripta mihi erant:

1) Th. Koch, Ueber die Parodos der griech. Trag., im Allgem. u die des Oed in Col. im Besond. Berl. 1854, p. 1—5, quibus hic vir doctus ob definitiones prologi et parodi, quas in C. 12 A. P. reperimus, illud totum Aristoteli abiudicare tendit.[7])

2) L. Schmibt, Nach einmal des 12-te C-tel der Aristot. Poetik, Fleckeisen's Jahrb. für klass. Phil., 1857, p. 713—725, in qua commentatione multa perverse explanata esse iam ex explicatone episodi. p. 771 et verborum κοινὰ μὲν ἀπ. p. 734—725 apparet.

[7]) De ratione, quae inter C. 12 et finem C. 18 intercedit, confer Vahlen, Sitzungsb. der Wiener Akademie, vol. 52, p. 150.

3) Rich. Arnoldt, die chorische Technik des Euripides, Halle 1878, qui p. 34—45 turpissime in distributione tragoediarum Euripidearum statuenda falsus est, cum persaepe in antecedentibus (p. 1—33) ob suam arbitrariam doctrinam canticorum alternantium e duobus episodiis et stasimo inter ea intercedente unum episodium effecisset cumque ob eandem causam ibidem ad exodum non raro etiam episodium et stasimum sequens rettulisset[8]).

4) J. M. Stahl, de tragoediae primordiis et incrementis ab Aristotele adumbratis, index Monast. 1881 ubi vir doctus in eo erravit, quod Themistium 26, 316, d sequens prologi inventionem Thespidi assripsit.

5) Hauler, Zeitschrift für die oester. Gymn., 1885, quo loco non recte hic vir doctus testimonium Ciceronis ad Quint. fr. 1, 1 pariter atque Ribbeckius, die Röm. Trag., Leipzig, 1875, p. 641 ad doctrinam peculiarem trium actium, testimonium autem Varronis l. I de re rust. C. 26 rursum ad aliam doctrinam quattuor actuum referens totam doctrinam quinque actuum ab Horatii regula (A. P. 189) deducere conatus est. Jn eadem sententia etiam, postquam testimonia doctrinae quinque actuum a Leone l. l. collecta atque illustrata erant, mirum in modum perseverare pergit, ut e praef. ad Phorm. Teubn., p. 463, adn. 1 patet.

6) Th. Heine, Studia Aristotelica, I, Ueber die Arten der Trag., Programm von Kreuzberg 1887, in quo libro frustra scriptor ea, quae Vahlenus l. l. tam recte de ratione inter μετάβασιν Aristotelicam et peripetiam anagnorismumque intercedente statuit, labefactare studet.

7) Alfred Dippe, Bezieht sich Aristoteles' Einteilung der Tragödie auch auf Aeschylus' Tragödien? Wochenschrift für Klass. Phil. 1895 p. 107—111, ubi mirum

---

[8]) Etiam ea, quae Heerenus de distributione episodiorum in trag. praecipue Aeschyleas atque Euripideas in sua diss. „de chori Gr. trag. natura et indole, ratione argum. habita" (Gott. 1784) dixit, prorsus respuenda sunt ob arbitrariam usurpationem vocis episodii.

in modum verba κοινὰ μὲν ἁπάντων ταῦτα (C. 12 A. P.) sic explicantur, ut prologus, episodium, exodus ex sententia quoque Aristotelica omnium tragoediarum non communes partes sint.

Denique editiones tragoediarum, quibus in versibus afferendis usus sum, hae sunt:

1) Aeschyli fab. ed. N. Wecklein, Berol. 1888.

2) Sophoclis trag. ex recensione G. Dindorfii, editio sexta, qnam curavit Mekler, Lips. 1896.

3) Euripidis fab., editio Prinz-Wecklein, Lips. 1899—1902.

4) Senecae trag. ed. Fr. Leo, Berol., 1878—97.

Caput I.

De partibus scaenicis, in quas Aristoteles tragoedias dividere voluerit.

Cum ea divisione scaenica tragoediarum, quam Aristoteles C. 12 A. P. praebet, nullam vetustiorem aetas tulerit, consentaneum est, me priusquam de conformatione scaenica tragoediarum aliquid ex mea sententia proferam, eam ipsam examinare ac videre, quatenus naturae atque indoli earum respondeat. Quod munus ut rite subirem, de partibus illius divisionis, ut ab auctore eius constitutae sunt, iam in hoc capite libelli mei disserendum esse censui.

Partes, ad quas explicandas aggredimur, ab Aristotele in universum sic designantur: *μέρη τραγῳδίας κατὰ τὸ πόσον καὶ εἰς ἃ διαιρεῖται κεχωρισμένα* id est partes secundum quantitatem constitutae et quidem loco separatae, propptereaque iis ab eo ipso iure opponuntur *μέρη, οἷς ὡς εἴδεσι δεῖ χρῆσθαι* [9]) id est partes, quae, ut formae, simul eodem loco esse possunt.

Ex partibus tragoediarum ita inductis prologum, episodium, exodum, choricum, eiusque duo genera omnium tragoediarum communes, *τὰ ἀπὸ σκηνῆς* autem et *κόμμους* tantum singularum tragoedianum proprias esse Aristoteles censet. Ita enim verba *κοινὰ μὲν οὖν ἁπάντων ταῦτα, ἴδια δὲ τὰ ἀπὸ σκηνῆς καὶ κόμμοι* intellegenda

[9]) De partibus C. 6 A. P. enumeratis hoc loco cogitatur.

sunt, cum in iis illud *ταῦτα* ad omnes partes tragoediarum iam enumeratas inde a prologo usque ad stasimum spectet, *ἁπάντων* autem significet omnium tragoediarum vel potius dramatum, de quibus hoc loco sermo est, deinde vocabulo *κοινὸν* opponatur *ἴδιον* id est singularum tragoediarum proprium [10]). Quae explicatio non minus etiam eo fulcitur, quod nonnullae tragoediae, quae manu tenemus, re vera his duabus partibus carent. Sed recte disserendi ratio efflagitat, ut priusquam has ipsas tragoedias enumerem, quid ex mea sententia *τὰ ἀπὸ σκηνῆς* et *κόμμοι* significent, dicam.

Quod ad *τὰ ἀπο σκηνῆς* attinet, eorum proprietas vel ex definitione commi facile colligi potest: *κόμμος θρῆνος κοινὸς χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς*. Huc accedit Probl. Arist 19, 15: *τὸ δ' αὐτὸ αἴτιον καὶ διότι τὰ μὲν ὑπὸ σκηνῆς οὐκ ἀντίστροφα, τὰ δὲ τοῦ χοροῦ ἀντίστροφα. ὁ μὲν γὰρ ὑποκριτὴς ἀγωνιστὴς καὶ μιμητής, ὁ δὲ χορὸς ἧττον μιμεῖται.* Ex quo loco etiam id concludere licet, Aristotelem ob eam causam hunc in modum *τὰ μέλη τὰ ὑπὸ τῶν ὑποκριτῶν ᾀδόμενα* definire omisisse, quia in ipsis verbis *τὰ ἀπὸ σκηνῆς* graecus unusquisque sicuti in verbis *τὰ τοῦ χοροῦ* ex sensu verbum *μέλη* subaudiverit, semperque *σκηνὴν* ad histriones ipsos rettulerit [11]). Neque enim verba in Photii lex. tradita: *μονῳδία. ἡ ἀπὸ σκηνῆς ᾠδὴ ἐν τοῖς δράμασι, καὶ μονῳδεῖν τὸ θρηνεῖν. ἐπιεικῶς γὰρ πᾶσαι αἱ ὑπὸ σκηνῆς ᾠδαὶ ἐν τῇ τραγῳδίᾳ θρηνοί εἰσιν* aliquomodo cum ea difinitione, quam ex hoc cap. (C. 12 A. P.) excidisse nonnulli leviter afiirmant, cohaerere credibile est, cum

---

[10]) Ita Kleinius p. 9. Cf. praeterea Vahlen adn. Gram. ad. p. 1450 a 13 A. P [3] — Aliter G. Hermannus, comm. ad C. XII 2, 3 p 131 A. P., Westphal l. l., adnot. ad p. 7; Alfred Dippe p. 110; Leop. Schmidt, index lect. Marp. 1889, p. VIII.

[11]) Aliter Arnoldtius. Wissensch. Monatsbl. VI, 23—25. Cf Leop. Schmidt, index lect. Marp. 1889, adnot. ad p. VIII.

τὰ ἀπὸ σκηνῆς sc. *μέλη* Aristoteles, qua sagacitate erat, neque per monodiam neque per threnum definire potuerit. Nam et *τὰ ἀπὸ σκηνῆς* in Phoen. 1539 seq., 1710 seq., in Andr. 501 sep., Herc. (Eur.) 1184 seq., Jph. Taur. 827 seq., et alibi a duobus histrionibus invicem cantantur. nec *τὰ ἀπὸ σκηνῆς* in Jone 82 seq,. Jphig. Taur. 827 seq. et alias *θρῆνοι* ullo modo appellari possunt.

Quod autem ad *κόμμον* pertinet, eum Aristoteles diserte definivit: *κόμμος θρῆνος κοινὸς χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς*. Itaque commus est threnus, quem chorus cum uno vel duobus histrionibus communem habet. „Vel duobus histrionibus" addendum est quia commo in Oed in Col. 1670 seq., Eur. El. 1190 seq. et alias duo histriones participant. Verbum ipsum *κόμμος* a verbo *κόπτειν* ortum esse per se patet, ob eamque causam, ut planctum in lingua Latina, imprimis dolorém quam maximum significare consentaneum est. [12]) Recte igitur grammatici posterioribus aetatis, quos imprimis Tzetzes secutus esse videtur [13]), vim primariam huius vocis senserunt: *κόμμος δὲ θρήνου πενθικώτερος πλέον. ὁ θρῆνος δ' ἐστὶν ἠρεμέστερον μέλος* (66—67), quamquam etiam Aristotelicam definitionem eius notam habuerunt, ut ex his apparet: *κόμμον πάλιν ἄλλος δέ τις θρῆνον λέγει, κοινὸν χοροῦ σκηνῆς τε τυγχάνειν λέγων* (68—69). Aristoteles autem ipse primariam vim commi probe sciens fortasse idcirco eius nomen threno, cuius non solum histriones, sed etiam choreutae participes sunt, tribuit, quoniam hic *θρῆνος* maiorem dolorem ac tristitiam excitare ac repraesentare possit, quam ille threnus, qui ab histrionibus solum agitur. De ceteris *θρήνοις*, qui scilicet non *κοινοὶ*

---

[12]) Aesch. Choeph. 423: ἔκοψα κόμμον Ἄριον. Cf. Muff, p. 40.

[13]) Tretz. περὶ τραγ. ποιήσ. (ed. Kaibel) 147 seq.: οὕτω μὲν οὗτοί φασι συμπεφυρμένως. ὅταν ὁ Εὐκλείδης καὶ Κράτης γράφων, ἄλλοι τε πολλοὶ τῶν λόγων διηρημένων etc. Cf. Kaibel, die Prol. περὶ κωμ. p. 6—7.

χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς sunt, aliquid ab Aristotele hoc loco dici superfluum erat, quandoquidem θρῆνος χοροῦ id est θρῆνος a choro solo cantatus in illud χορικόν, θρῆνος autem ἀπὸ σκηνῆς in illa τὰ ἀπὸ σκηνῆς cadunt.

Commis et ἀπὸ σκηνῆς explicatis restat, ut eas tragoedias, quae eas partes non praebent, enumerem. Atque μέλος ἀπὸ σκηνῆς omnes Aeschyleae fabulae excepto Prometheo non habent. Sic res se habet etiam in Soph. Antig., Oed. R. et Eur. Med., Heraclidis et Heracle[14]). Commus autem, ut ab Aristotele definitus est, in Aesch. Prom., Eum.; Eur. Medea, Heraclidis, Hecuba, Jon., Phoen., Oreste non cérnitur[15]).

Sed commi et quae ἀπὸ σκηνῆς canuntur a ceteris partibus tragoediarum non solum éo differunt, quod non omnium tragoediarum propriae sunt, sed etiam eo, quod in illas partes veluti in prologum, episodium, exodum cadere debent et cadunt. Jta τὰ ἀπὸ σκηνῆς sc. μέλη, quae ante introitum chori canuntur, ad prologos referenda sunt, quia prologus usque ad introitum chori prorigitur [16]). Eodem fere modo commi, cum inter duo chorica vel inter ultimum choricum et finem tragoediae positi sunt aut partes episodiorum aut exodorum e sententia quoque Aristotelica esse debent. Verum tamen τὰ ἀπὸ σκηνῆς et κόμμοι e singulis partibus tragoediarum, ergo etiam ex ipsis tragoediis, exsecari possunt propter eaque etiam de iis valet, quod de ceteris tragoediarum partibus ab Aristotele dictum erat: κατὰ τὸ ποσὸν καὶ εἰς ἃ διαιρεῖται κεχωρισμένα [17]). Cum autem hae duae partes certe formae necessariarum partium non necessariae sint, ut verbis G. Hermanni utar [18]), momentum ad tragoediae confomationem scaenicam investigandam non afferre possunt,

14) Cf. Bethe p. 162—163.
15) Aliter Arnoldtius p. 33.
16) Aliter G. Oehm. l. l. p. 8—10.
17) Aliter Schmidtius p. 724—725 (Noch einmal....).
18) A P. p. 131, 4.

ideoque in appendice huic dissertationi addita, ubi tragoedias Graecas Aristotele duce in partes divisi, eas duas partes praetermittere non cunctatus sum.

Nunc convertamus nos ad singulas partes omnium tragoediarum communes considerandas.

Ex his partibus prima est prologus, quem ita Aristoteles definivit: μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ πρὸ χοροῦ παρόδου. Vox ipsa μέρος ad tragoediarum prologos denotandos vel ab Aristophane poeta in Ranis 1119—1120 adhibita est: καὶ μὴν ἐπ' αὐτοὺς τοὺς προλόγους σοι τρέψομαι, ὅπως τὸ πρῶτον τῆς τραγῳδίας μέρος. Tamen hoc loco προλόγους nihil aliud significare quam primam orationem, qua tragoedia incipitur, iam ex exemplis prologorum, quae Aristophanes in sequentibus attulit, apparet. Cf. Schol. R.: εἰς τὰ προοίμια δηλόνοτι. Ergo verba τὸ πρῶτον μέρος τῆς τραγῳδίας poeta eo consilio hoc loco addidisse videtur, ut causam indicaret, cur Euripides v. 1119 ad eos se contulisset, simulque ut omnes spectatores intellegerent, quid sibi vellet vox προλόγους [19]. Huc accedit, quod Aristophanes Grammaticus in argum. tragoed. προλογίζει semper ad personam refert, a cuius verbis tragoedia incipitur, veluti in argum. Soph. Antig. προλογίζει (δὲ) ἡ Ἀντιγ., Soph. El. — ὁ παιδαγωγὸς Ὀρέστου, Oed. in Col. — Οἰδίπους, Eur. Alc. — ὁ Ἀπόλλων, Med. — τροφὸς Μηδ., Iph. Taur. — Ἰφιγένεια, Phoen. — Ἰοκάστη, Oreste — Ἠλέκτρα, Andr. — Ἀνδρομ. Praeterea confer Pers. arg.: προλογίζει χορὸς πρεσβυτῶν, Anon. Rhesi: ὁ χορὸς — ἐκ φυλάκων Τρ., οἳ καὶ προλογίζουσιν [20]. Ex quibus intellegi potest, significatum primarium vocis prologi esse „die Anfangsrede," id quod Graeci in universum prooemium appellare sole-

---

19) Cf. Wilam. Orest II, p. 149.

20) Id. iam Vossius (diss. inaug.) p. 16 recte observavit.

bant [21]). Itaque Aristoteles primus, ut videtur, per suam definitionem prologi notionem extendit etiam ad scaenas, quae inter primum soliloquium vel colloquium tragoediae et introitum chori intercedunt [22]). Quo factum est, ut significatus vocis prologi a prooemio in expositionem vel perlusionem actionis fabularum maximam partem commutaretur [23]). Ad quam rem perficiendam Aristoteles eo quam maxime commotus esse potuit, quod nonnumquam statim post primum soliloquium, quod vulgo prologus dicebatur, introitus chori fit, veluti in Aesch. Agam , Choeph., Soph. Ant., Eur. Bacch. et Suppl. Inde sane eum omnia, quae inter initium tragoediae et introitum chori intercedunt, generatim prologum appellasse non mirum est, praesertim cum eae scaenae, quae inter primam orationem et introitum chori intercedunt, pari modo ac prima oratio tradoediarum statum rerum primarium, quem tragoedia unaquaeque praebet, exponere studeant. Sed Aristotelem ipsum nonnumquam in significatum primarium huius vocis incurrere non veritum esse ex A. Rhet. III, 14 elici posset. ubi nimirum prologum tragoediarum tantum pro prima oratione, unde tragoediae initium capiunt, habuisse videtur: *τὸ μὲν οὖν προοίμιόν ἐστιν ἀρχὴ λόγου, ὅπερ ἐν ποιήσει πρόλογος καὶ ἐν αὐλήσει προαύλιον πάντα γὰρ ἀρχαὶ ταῦτ' εἰσι* . . . . , si verba sequentia prorsus praetermiterentur: *κἂν μὴ εὐθὺς ὥσπερ Εὐριπίδης· ἀλλ' ἐν τῷ προλόγῳ γέ που δηλοῖ, ὥσπερ καὶ Σοφοκλῆς* . . ., quibus discrimen inter prologum vulgarem et Aristotelicum intercedens leviter tangitur[24]).

---

21) Sic Leo, Plaut Forsch., p. 171.

22) Ita in Iphig. Taur. e sententia Aristoph. Gram. (προλογίζει Ἰφιγ) pro prologo prima oratio tragoediae id est soliloquium Iphig. 1—66 habenda est. Contra ex definitione Aristotelica ad prologum non solum id colloquium, sed etiam colloquium Orestis cum Pylade 67 - 122 spectat

23) Cf. Leo p. 172.

24) Haec est sententia Leonis, Plaut Forsch. adnot. 2, p.

Grammatici Alexandrini, ut iam demonstratum est, semper significatum primarium huius vocis tenuisse videntur. Grammatici autem posteriores, ut e Tzetzis tractatu apparet etiam definitionem prologi Aristotelicam probaverunt. Nam ea definitio, quae Tzetz. 21 legitur: πρόλογος μέν ἐστι τὸ μέχρι χοροῦ τῆς εἰσόδου manifesto a definitione Aristotelica pendet, quandoquidem in ea, ut tradita est, parodum ipsum introitum chori significare e voce χοροῦ ad eam addita concludi possit. Cf. Pollux IV. 108 ἡ εἴσοδος τοῦ χοροῦ πάροδος καλεῖται.

Alteram partem omnium tragoediarum communem Aristoteles episodium nominat. Quod verbum sine dubio origini tragoediarum ascribendum est. Nam cum tragoedia Graeca e coniunctione chori Dorici quinti saeculi a Chr. n. et iambi recitatoris Jonici nata sit [25]), necesse est, ut episodium, ut vox ipsa docet, accessionem iambi recitatoris ad chorum in scaena versantem significet. Atque in vetustioribus Aeschyli tragoediis, quae a chori cantico incipiunt, semper ad canticum chori episodium unius histrionis accedit, unde dialogus inter eum et chorum oritur [26]). Itaque episodii primarius significatus est id, quod allemanice „Auftritt“ dicitur [27]). Ad quam sententiam probandam non parvum momentum praebet Oed. in Col. 730, ubi verba τῆς ἐμῆς ἐπεισόδου Creontis accessum ad chorum significant. Cf. Soph. fragm. Inachi, 225 Πλοῦ-

---

172. — Quid ex hoc loco Artis Rhet. Th. Kockius concluserit, invenies in „Ueber die Parodos etc.“ p. 5. Cf praeterea Fleckeisen's Jahrb., 1857, p 331.

[25]) Quo iure talia affirmare possim, apparet ex libro Bethii „Proleg. zur Geschichte des Theat. im Alt, Leipzig 1896“ p. 27—47, praesertim p. 45. Confer praeterea Wilam. Herc. I, p. 48—86¹.

[26]) Sic Wilam., ibidem p 87—90¹.

[27]) Aliter de hac re iudicavit Schmidtius p. 5 (de parodi in trag. Gr. not.). Cf etiam Fleckeisen's Jahrb., 1857, p. 717.

τωνος ἐπείσοδος. Ergo inde, quod haec recitatio vel dialogus histrionis unius ad chorum advenientis per duo chorica in vetustioribus tragoediis vel iam in eorum primordiis determinabatur, Aristoteles profectus omnes partes tragoediae inter duo chorica posita generatim episodia appellasse videtur, quamquam non semper hae partes in tragoediis posterioris aetatis ab accessu unius histrionis incipiunt neque semper tantum unius histrionis accessionem et quidem ad chorum continent [28].

Grammatici Alexandrini significatum primarium huius vocis in universum secuti esse videntur. In Schol. enim ad Soph. Phil. 1218 haec adnotata sunt: ἐντεῦθεν διπλοῦν ἐστι τὸ ἐπεισόδιον, quia in hac scaena non, ut plerumque, una, sed duae personae adveniunt. Grammaticos autem posterioris aetatis hunc commutatum significatum probavisse e Tz. 22 elucet: ἐπεισόδιός δ' ἐστιν ὡς καὶ πρὶν ἔφην, λόγος μεταξὺ πλὴν μελῶν χορῶν δύο, quae verba manifesto episodii definitionem Aristotelicam reddunt.

Quod autem ad choricum pertinet, in quo duo genera parodum et stasimum Aristoteles distinxit, ex iis, quae de episodio dixi, luculenter apparet, id praecipue canticum a choro solo cantatum significare, ad quod finitum accessus recitatoris fieri solebat Propterea ex ex iis canticis, quae chorus cum histrionibus communiter cantat, tantum ea pro choricis episodia seiungentibus habenda sunt, quae certo statuere possumus in loco chorici a solo choro cantati posita esse. Ita ante omnia res se habet in iis commaticis, quibus chori in scaenam introitus fit.

Notabile est, quod Aristoteles χορικά, quae ad episodia seiungenda adhibuit, ὅλα esse vult, ut e definitione episodii colligitur: ἐπεισόδιον μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ μεταξὺ ὅλων χορικῶν μελῶν. Quid significet hoc loco

---

[28]) Recte de hac re iudicavit Myriantheus p. 140—141. Cf. etiam Th. Kock, p. 3 (Ueber die Parodos....).

vox ὅλον, iam is grammaticus, qui tragoediarum divisionem Aristotelicam in comoediam transtulerat [29]), recte sensisse videtur. In tractatu enim Coisliniano [30]) haec leguntur: χορικόν ἐστι τὸ ὑπὸ τοῦ χοροῦ μέλος ᾀδόμενον, ὅταν ἔχῃ μέγεθος ἱκανόν, quibus verbis, ut mihi videtur, Aristotelicum ὅλον χορικόν satis probe explicatur. Atque Aristoteles ad verbum χορικόν illud ὅλον addere debebat, quo illae parvae cantiones vel dictiones chori sive coryphaei eius, quibus tam saepe sermo vel colloquium histrionum ad chorum advenientium propagatur et continuatur, ex numero eorum choricorum, quibus episodia seiunguntur, excluderentur eaeque ad episodia ipsa et exodos referrentur [31]). Eodem sane modo, quo grammaticus ille ὅλον ad χορικόν pertinens interpretatus est, etiam ὅλον ad μέρος τραγῳδίας additum intellegendum esse per se patet. Itaque prologus, episodium, exodus partes totae (μέρη ὅλη) tragoediae sunt, quia extensione et amplitudine certa praeditae sunt [32]) Neque ex illa definitione vocis ὅλον, quam in C. 7 A. P. reperimus, concludendum est, hoc loco ὅλον χορικόν vel ὅλον μέρος aliquid per se determinatum neque ab alia re pendens significare, cum eo loco de re longe alia quam hoc loco dicitur, nempe de integritate vel potius unitate actionis fabularum. Quae sententia etiam iis tragoediis confirmatur, in quibus parodus commatica reperitur. In iis enim tragoediis neque prologus a sequente episodio neque parodus a sequente episodio divelli potest, quod si ὅλον hoc loco aliquid per se determinatum neque ab alia parte pendens significaret, ultro fieri deberet. Huc accedit, quod nonnulla stasima a verbis personae, quibus ultima pars episodii antecedentis concluditur, pendent, veluti Pers. 636—682; Suppl. Aesch. 638—717,

[29]) Cf. Leo p. 205; Kaibel die Prol. περὶ κωμ. (1898), p. 9

[30]) Fragm. Graec. Com., Kaibel, p. 52—53 (X, § 9).

[31]) Cf. G. Herm. adn. ad A. P. XII, 5; Westphal p. 66.

[32]) Aliter G. Hermannus, comm. ad A. P. XII, 4 (p. 131).

Trach. 205—224. Cf. praeterea Eur. Bacch. 55 seq., Sen. Oed. 401—402, Herc. Oet. 581—582 [33]).

Prius genus chorici Aristoteles ita definivit: *πάροδος ἡ πρώτη λέξις ὅλου χοροῦ*. Ut intellegamus, quo modo Aristoteles ad hanc definitionem pervenerit, ante omnia significatus primarius huius vocis illustrandus est. Iam e lexicis satis apparet parodum, quod ad chorum pertinet, imprimis introitum vel ingressum eius in scaenam significare. Quo spectat etiam testimonium Poll. IV, 108 *ἡ εἴσοδος τοῦ χοροῦ πάροδος καλεῖται*. Praeterea non neglegendum est schol. ad Heph. p. 131 Geisf., ubi verba Heph. *ἐν ταῖς παρόδοις τῶν χορῶν* scholiasta ita interpretatus est: *οὕτως καλεῖται ἡ πρώτη τῶν χορῶν ἐπὶ τὴν σκηνὴν εἴσοδος*. Atque cum introitus in scaenam chori fere semper cum cantico consociatus esset, decursu nimirum temporis vox, qua introitus chori graece significabatur, ad ipsum canticum chori, quocum introitus coniunctus erat, relata ac translata erat. Cui rei documento sunt haec: 1) Schol. ad Phoen. 202 *πάροδος δέ ἐστιν ᾠδὴ χοροῦ βαδίζοντος ᾀδομένη ἅμα τῇ ἐξόδῳ*[34]) *ὡς τὸ σῖγα, σῖγα*.... (Orest. 140); 2) Tzetz. IX, 39 *ᾠδὴν ὁ Εὐκλείδης λέξιν οὐ λέγει, ᾠδὴν χοροῦ πρώτιστον αὐταῖς εἰσόδοις, ὡς σῖγα* . . . Unde etiam clarum fit, grammaticos satis perseveranter parodum ad ingrediendi rationem revocare solitos esse. Ad quam sententiam confirmandam momentum id affert, quod omnia prima chorica quatenus non manifesto indicia ingrediendi id est imprimis systemata anapaestica offerunt, e numero parodorum ab iis exclusa sunt, ut ex his locis colligitur: 1) Schol. ad Phoen. 208. *Τὺ*

---

[33]) Longe aliter Dippe, Wochenschrift für Klass. Phil. № 4, 1895, p. 109—110.

[34]) Sine dubio pro codicum in Scholio Euripideo scriptura ἐξόδῳ legendum est cum O. Müllero (Eum. p. 88, adn. 5) εἰσόδῳ. Cf. Tzetz. 106: πάροδος δὲ ᾠδὴ τοῦ χοροῦ ἅμ' εἰσόδῳ, ὥσπερ, τὸ σῖγα . . . .

ριον οἶδμα . . . . τοῦτο τὸ μέλος στάσιμον λέγεται. ὅταν γὰρ ὁ χορὸς μετὰ τὴν πάροδον (id est non canticum, quod chorus simul cum introitu canit, sed ipse introitus chori) λέγῃ τι μέλος πρὸς τὴν ὑπόθεσιν ἀνῆκον ἀκίνητος μένων, στάσιμον λέγεται τὸ ᾆσμα; 2) Tz. 54 seq. ὅταν χορὸς στὰς ἐμπαρᾴδῃ μέλος, ὡς Ὠκεανοῦ τις ὕδωρ λέγεται στάζειν (Hipp. 121), στάσιμον μέρος εἴληχε κλῆσιν φέρειν[35]). Quae cum ita sint, quaeri debet, cur Aristoteles in sua definitione parodi ingressum chori commemorare neglexerit. Quae quaestio optime eo solvitur, quod primum canticum, quocum necessario, ut postea apparebit, introitus chori in tragoedia vetustissima vel eius primordiis coniunctus erat, posteriore tempore non semper cum introitu coniungi necesse erat. Atque in Aesch. Eum., Soph. Oed. R, Philoct., Eur. Bacch., Suppl. primum choricum nullo modo chori scaenam introeuntis esse potest, quia chorus iu his tragoediis iam ab ipso eorum initio in scaena versari videtur[36]). Itaque ad strictam definitionem ambitus prologi etiam haec chorica, quamquam cum introitu scaenam chori non consociata sunt, pro parodo valere opus erat. Inde sane facile intellegitur, cur Aristoteles in definitione parodi τὴν πρώτην λέξιν χοροῦ aliis verbis veluti τῇ λέξει χοροῦ βαδίζοντος praeferens significatum vocis parodi a cantico chori introeuntis aliquo modo in canticum primum — ergo etiam chori non introeuntis — commutasse ausus sit.

Sed quaerendum est ètiam, quid sibi velit hoc loco vox λέξις eoque magis, quod in definitione alterius generis chorici vox μέλος adhibetur. Atque cum in nonnullis tragoediis, veluti in Aesch. Suppl., Pers., Prom, Agam.; Soph. Aiace, Antig., Phil., Oed. in Col.; Eur.

---

[35]) Sic de hac re iam Schmidtius p. 17, 18, 24 (de parodi not.); Myriantheus p. 76, 138 iudicaverunt.

[36]) Frustra Myriantheus in suo libro idem etiam in aliis nonnullis tragoediis statuere conatus est.

Alc., Med., Troad., Hec., Iphig. Taur. praeter versus cantatos parodus etiam versus recitatos id est systemata anapaestica contineat, cumque ex stasimo Aristotelico systemata anapaestica et tetrametra trochaica, quae recitantur, excludantur, facile quispiam in eam sententiam incurrere potest, ut statuat, hoc loco λέξιν ob eam causam positam esse, ne versus anapaestici quippe non cantati a parodo excludantur [37]. Itaque si huic explicationi credamus, ea differentia, quae hic inter λέξιν et μέλος intercedit, in eo ponenda est, quod λέξιν ut vox ampliore significatu et versus recitatos et versus cantatos in se comprehendit, contra μέλος ut vox angustiore significatu tantum versus cantatos. Quae sententia etiam iis locis fulciri videtur, in quibus λέγειν de carminibus cantatis dicitur, veluti Schol. ad Phoen. 202 ὅταν γὰρ ὁ χορὸς — λέγῃ τι μέλος; Suid. v. μονῳδία: ὅταν εἷς μόνος λέγῃ τὴν ᾠδήν et alias [38]. Tamen definitione stasimi accuratius in censum vocata fieri non potest, quin sententiam de consilio, quo hic λέξις dicitur, modo prolatam improbemus. Quo modo enim negari potest, eum qui illam definitionem stasimi scripserat: μέλος χοροῦ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου, id est canticum, in quo versibus cantatis versus recitati vel potius anapaestici et trochaici non immiscentur, in fabulis etiam μέλος χοροῦ μετὰ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου, id est canticum chori, in quo versibus cantatis versus recitati immixti sunt, notum habuisse, praesertim cum systemata anapaestica et tetrametra trochaica ad tibiae modulationem, quam ipsam persaepe μέλος et μελῳδία significat, recitata ac versibus cantatis immixta vix impedire potuerint, quominus in talibus versuum iuncturis vox μέλος adhiberetur? Ergo iure optimo ex Aristotelica quoque sententia parodum Aesch. Suppl., Pers., Agam.; Soph. Aiac.,

---

[37]) Sic Herm. A. P. p. 142; O. Müller, Mus. Rhen. V, 362.

[38]) Exempla ad hanc rem comprobandam idonea iam Vossius in sua dissert. p. 9 protulit. Cf. praeterea Aesch. Suppl. 625.

Antig., Eur. Alc., quae cunctae a choro solo peraguntur, μέλος χοροῦ σὺν ἀναπαίστῳ nominare possumus. Praeterea in comoedia Aristophanea multis locis invenies μέλη χοροῦ σὺν ἀναπαίστῳ καὶ τροχαίῳ, ad quorum genus praecipue parabases referendae sunt. Quae cum ita sint, cur Aristoteles hoc loco per verba illa λέξιν et μέλος χοροῦ elocutionem variaverit, prorsus alia causa quam ea, quam dixi, conquirenda est. Quae causa in eo inveniri potest, quod parodus non solum μέλος χοροῦ id est canticum a choro solo actum, sed etiam λόγος χοροῦ id est colloquium chori sc. cum histrione quodam esse potest, ut res in parodis, quae dicuntur, commaticis se habet. Nam cum vox λέξις, ut ex A. Rhet. III, C. 1, apparet, omnia genera poeseos et prosae orationis — ergo etiam et μέλος χοροῦ et λόγον χοροῦ — in se comprehendere posset, Aristoteli ad parodum definiendam ea ipsa vox, non alia, certe opus erat [39]. Sed utcumque res se habet, ex utraque explicatione vocis λέξεως pari modo clarum est, parodum non semper, ut stasimum, μέλος χοροῦ e sententia Aristotelica esse posse. Idcirco in definitione episodii ἐπεισόδιον μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ μεταξὺ ὅλων χορικῶν μελῶν verbum μελῶν confidenter delendum est, quo etiam ea pars tragoediarum, quae inter parodum, quae non formam μέλος χοροῦ habet, et primum stasimum intercedit, e partitione Aristotelica nomen habeat, episodiumque sit. Neque in hac definitione substantivum aliud

---

[39]) G. Herm. ed. A. P. p. 139 tales λόγους e sententia Aristotelica parodos esse posse negavit. Simili modo de hac re iudicavit O. Müllerus, qui Mus Rhen V, p. 365, in iis tragoediis, in quibus primus ex sententia grammaticorum parodos commaticas statuit canticum alterum a choro solo cantatum ex sententia Aristotelica pro parodo habendum esse professus est. — Euclides Scholiasta (cf. Kaibel, Prol. περὶ κωμ. p. 5) autem aliter atque Aristoteles ad parodum tantum versus a choro cantatos rettulisse videtur. Sic enim Tzetz. 39 seq.: ᾠδὴν ὁ Εὐκλείδης, λέξιν οὐ λέγει, ᾠδὴν χοροῦ πρωτίστον αὐταῖς εἰσόδοις, ὡς σῖγα . . . . interpretandi sunt.

veluti μερῶν, quod ad χορικῶν referatur, desiderari potest, cum etiam in verbis statim sequentibus aeque atque eo loco, quo partes omnium tragoediarum enumerantur, id adiectivum (χορικόν) quasi substantivum usurpatum sit.

Ut definitionem parodi Aristotelicam totam absolvamus, superest, ut verba ὅλου χοροῦ interpretemur. Quae verba in illa iunctura πάροδος ἡ πρώτη λέξις ὅλου χοροῦ per se ipsa tantummodo dictionem omnium choreutarum simul cantantium vel loquentium significare manifestum est.[40]). Cum autem in parodis commaticis coryphaeus et singuli choreutae deinceps cum histrione in scaena versante colloqui videantur[41]), cumque in ceteris parodis pariter atque in stasimis fere omnibus propter earum compositionem strophicam et antistrophicam partes chori a semichoris deinceps actas esse verisimile sit[42]), vix e sententia Aristotelica in tragoedia ulla parodum statuere licebit, nisi illud ὅλου in definitione parodi delemus[43]). Tamen illo verbo deleto verba, quae restabunt ἡ πρώτη λέξις χοροῦ, ad extensionem parodi non tam apte se habebunt, quandoquidem per se ipsa etiam tantum primam parodi partem significare possunt. Quapropter, ut et media et extrema pars parodi in unum comprehendantur, hoc loco ὅλου potius in ὅλη commutandum est, quod iam definitionibus aliarum partium approbari videtur[44]). Ipsa tradita verba ὅλου χοροῦ iam tempore satis antiquo lecta esse ex his locis evincitur: 1) Tz. 38 ἄλλου χοροῦ λέξις τε πρώτη τυγχάνει, ubi e loco Aristotelico sine dubio ὅλου χοροῦ pro ἄλλου legendum est[45]);

---

[40]) Aliter de hac de iudicavit Aschersonius, de par. et epip. diss., p. 7.

[41]) Cf. G. Herm., comm. ad A. P. C. XII, § 7, p. 139—140; W. Christ, die Teilung des Chors im attischen Drama, Abhandlung der bayer Ak., 1878, p. 210.

[42]) Cf. Christ, ibidem p. 203.

[43]) Sic iam Vossius, diss. inaug. p. 14.

[44]) Ita Westphal p. 58. — Aliter Myriantheus p. 7.

[45]) Sic correxit O. Müller, Mus. Rhen. V, p. 361.

2) Plut. an seni sit ger. r., 3, p. 784 A τὴν ἐν Οἰδίποδι τῶν ἐπὶ Κολώνῳ πάροδον, ἡ ἐστιν ἀρχή· Εὐίππου ξένε τᾶσδε χώρας (v. 668—719), quia v. 117—236, in quibus introitus chori per commaticum fit, a singulis choreutis, non ab ὅλῳ χορῷ cantantur[46]; 3) Plut. Lys. Vitae C. 15, ubi v. 167 El. Eur. pro eo versu habetur, unde parodus initium sumat, quia id choricum, quamquam commaticum est, a toto choro per semichoros deinceps cantatum ei videbatur. Tamen non omittendum est, quod in Tz. tractatu de partibus comoediarum 33 haec definitio parabaseos legitur: ἡ πάροδος ὅλη χοροῦ δὲ παράβασις[47]), in qua illa verba ὅλη χοροῦ fortasse e definitione parodi Abistotelica nondum corrupta fluxerunt. — Num haec corruptela certe errori scribae tribuenda sit, satis dubium est. Potest enim haec scriptura ὅλου etiam e discrimine, quod grammatici in ratione, qua introitus chori in scaenam fit, nata esse. Quod discrimen in parodis a grammaticis factum esse hi loci docent: 1) Poll. IV, 109 ἐσθ' ὅτε δὲ καὶ καθ' ἕνα ἐποιοῦντο τὴν πάροδον, 2) Vitae Aesch. p. 119, 120 Westerm. (Biogr.) τινὲς δέ φασιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσάγοντα τὸν χορὸν τοσοῦτον ἐκπλῆξαι etc., quae sine dubio ad epiparodum chori v. 244 seq. spectant[48]). Inde facile grammatici in eo convenire potuerunt, ut statuerent introitum chori tum vero factum esse, cum omnes choreutae in scaenam introissent, propterea que in definitione parodi Aristotelica carmen introeuntis chori cum ipso introitu chori ad finem perducto commutantes e verbo ὅλη verbum ὅλου effecisse probabile est[49]). Fortasse ab eadem

---

46) Aliud ex hoc loco Schmidtius p. 21, de parodi not., conclusit.

47) Com. Graec. fragm., ed. Kaibel, VIII, p. 40 seq.

48) Cf Myriantheus, p. 53—55.

49) Jn nonnullis tragoediis, quas manu tenemus, introitum chori non per omnes choreutas neque certo ordine factum esse vix negari potest. Cuius rei exemplum luculentissimum Troad.

manu, qua *ὅλη* in *ὅλον* correctum erat, etiam vox *χοροῦ* in prologi definitione addita est.

Praeter hanc parodum, de qua Aristotelis definitio valet, grammatici etiam aliam vel rectius alteram parodum notam habuerunt. Ita apud Poll. IV, 108 haec traduntur: *ἡ μὲν εἴσοδος τοῦ χοροῦ πάροδος καλεῖται, ἡ δὲ κατὰ χρείαν ἔξοδος ὡς πάλιν εἰσιόντων μετάστασις, ἡ δὲ μετὰ ταύτην εἴσοδος ἐπιπάροδος.* Huc accedit schol. ad Heph., p. 181, Geisf.: *οὕτως καλεῖται ἡ πρώτη τῶν χορῶν ἐπὶ τὴν σκηνὴν εἴσοδος*, quibus verbis parodus epiparodo ut alteri introitui chori opponi videtur. Quos locos si sequimur, epiparodus pro altero introitu chori in scaenam, postquam ob quandam causam ex ea egressus erat, veluti in Eum. 244 seq., Aiace 866 seq., Alc. 872 seq., Hel. 515 seq., habendus est. Alia definitio epiparodi reperitur in Tzetzae tractatu: *ἐπιπάροδος ἔλευσις δὲ δευτέρου χοροῦ μετ' ἐξέλευσιν τοῦ χοροῦ τοῦ πρὶν λέγω* (109

Eur. praebent. Ibi v. 153 unum semichorum, v. 176 alterum ad Hecubam advenisse, v. 165—166 aperte demonstrant. Cf. Schol. ad Troad. 166, 169. Deinde a veritate non alienum erit, si in Medea Eur. statuimus, v. 131 ob vociferationes Medeae v. 96 seq., 111 seq post scaenam editas unam partem chori, a qua v. 131 seq. canuntur, v. 204 ob vociferationes Medeae v. 148 seq., 160 seq. editas alteram partem chori a qua v. 204 seq. canuntur, scaenam introisse Aliter de hac re censuit Arnoldtius p. 135. Etiam in Eur. Heraclidis mirum esset, si homines, quiritatione Iolai asciti neque ab uno loco, ut cogitari potest, in scaenam accurentes simul atque certo ordine scaenam introirent. Ergo ad verum, rerum eventum servandum v. 73 seq. coryphaeum simul cum una parte choreutarum in scaenam venisse, in sequentibus autem ceteras choreutas ad eos accessisse necessarium est. Praeterea in Septem satis verisimile est, chorum σποράδην scaenam occupasse, quod et condicione rerum et compositione ipsius parodi probatur. Cf. Myrianth. p. 94—95 In his omnibus tragoediis e definitione Aristotelica correcta initium parodi statuendum est, ubi primum una pars chori, etiam alia parte nondum in scaenam prodeunte, in scaena aliquid dicere vel canere coepit.

seq.) Cf. praeterea haec verba ex eodem tractatu hausta: *μετὰ πάροδον Εὐκλείδης ἐπιπάροδον λέγει, ἄλλου χοροῦ δ' ἔλευσιν αὐτήν μοι λέγε χοροῦ μετ' ἐξέλευσιν ὃς πρὶν ἦν λέγων*. Quae definitio cum in nullam tragoediam earum, quas habemus, quadrare possit, cumque ab ea difinitone, quam nobis Pollux praebet, longe discrepet, non ad Euclidem spectare potest, sed ad ipsius Tzetzae ignorantiam ac neglegentiam redigi debet[50]). — Quod ad Aristotelem pertinet, is epiparodum propterea neglexisse videtur, quia admodum raro fit neque semper formam cantici a solo choro cantati sibi vindicavit. Sic e quattuor epiparodis, quas supra attuli, duae Eum. et Alc., cum *μέλος χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς* sint, ad episodium referendae sunt, duae autem Hel. et Aiac., cum *μέλος χοροῦ* sint, re vera duo episodia separant, ideoque e sententia Aristotelica pro stasimis habendae sunt.

Alterum genus chorici est stasimum sic ab Aristotele definitum: *στάσιμον μέλος χοροῦ τὸ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου*. Itaque e stasimo Aristotelico, ut paulo ante dixi, systém. anapaestica et tetrametri trochaici omnino excluduntur. Videndum est igitur, qua de causa haec duo metra in stasimo Aristotelico non tolerentur.

Quod vulgo tam saepe affirmatur, verba *ἄνευ ἀναπ. καὶ τρ.* eo consilio hic addita esse, ut versus anapaestici et trochaici, quibus praecipue coryphaeus chori introitum vel abitum histrionum denotare solet, a ceteris versibus, e quibus stasima re vera constant, seiungantur atque episodiis circumstantibus tribuantur[51]), id non credere possum, cum haec a stasimis separanda atque episodiis circumstantibus tribuenda esse ipse sensus satis doceat, proptereaque

---

[50]) Ita de hac re rectissime censuit O. Müllerus p. 371 (Mus. Rhen. V), cum Aschersonius (p. 27 (diss. inaug.) discrepantiam, quae inter Poll. testimonium et Tzetziana verba intercedit, satis pueriliter per coniecturas tollere conatus esset.

[51]) Sic Myrianth. p. 118—119, adn. 5.

id moneri per illa verba supervacaneum fuerit [52]). Neque intellegi potest, quam ob rem id tantummodo in stasimi definitione monendum fuerit, cum idem etiam in parodo valeat [53]). Sin autem aliqius affirmare voluerit, verba ἄνευ ἀναπ. καὶ τρ. hoc loco necessaria esse, quo system. anapaestica et tetrametra trochaica in episodiis et exodis mediis posita semperque a coryphaeo recitata non pro stasimis habeantur, item ei assentiri non potuerim. Nam haec system. vel tetrametra cum versibus cantatis non intermixta sint, nullo modo μέλος σὺν ἀναπ. καὶ τρ. esse possunt [54]). Quapropter aliam viam horum verborum inter-

---

[52]) Haec systemata anapaestica ab antecedentibus stasimis separanda sunt atque episodiis seqentibus tribuenda sunt: Agam 774—800, Septem 847—859, Antig. 626—630, 801—805, Alc. 238—243, Troad. 568—576, 1117—1122, Eur. Suppl. 794—798, 980—989, Herc. 442—450, Orest. 348—355, Iphig. in Taur. 456—466, Androm. 493—500, quibus omnibus introitus in scaenam histrionum a coryphaeo indicatur. Contra a stasimis sequentibus seponenda atque episodiis antecedentibus tribuenda sunt haec syst. anap.: Agam. 367—379, Pers 623—632, 535—550, Suppl. Aesch. 633—637, Sept. 806—816, Eum. 307—321, quibus systematis a coryphaeo recitandis partim histrionis cuiusdam a scaena discessus fit, partim chorus ipse eum statum vel ordinem ingrediendo occupat, quem stasimum canens tenet. Quod autem ad tetrametros trochaicos pertinet, ii in vicinitate stasimorum tantum duobus locis collocati sunt: Orest. 1549—1553 et Phoen. 1307—1308, qui sane introitum histrionum indicantes ab antecedente stasimo divellendi atque episodio sequenti tribuendi sunt

[53]) Ita in Pers. 153—157, Ant. 155—162, Hipp. 170—175, Troad. 230—234 habemus system. anapaestica, quae ab antecedente parodo separari atque episodio sequenti tribui sensus iubet.

[54]) Anap. systemata coryphaei in medio episodio posita sunt haec: Choeph 305—313, 715—725, 854—868, Pers. 920—933, Ant. 526—530, Electra Eur. 988—997, Orest. 1013—1017, Medea 357—363, 759—763, 1018—1115, quae cuncta semper aliquo modo cum gradibus sive ab histrionibus sive a choro ipso faciendis cohaerent. De Med. 1018—1115

pretandorum iniri opus est. Atque talem viam id praestat, quod tetrametra trochaica et syst. anapaestica in universum ad gressus faciendos recitare solebant[55]). Quam viam sequentibus mox apparebit, in definitione stasimi Aristotelici verba ἄνευ ἀναπ. καὶ τρ. eo consilio scripta esse, ut intellegeretur, id choricum canticum chori in scaena astantis id est neque e scaena egredientis neque in scaenam introeuntis esse[56]). Contra ex parodo Aristotelica haec metra non excluduntur, quia illa cum ingressu chori coniuncta nonnumquam, ut exemplis paulo ante approbatum est, μέλος σὺν ἀναπ. καὶ τροχ. esse potest. Ob eandem causam parodus comica haud raro μέλος σὺν τροχαίῳ, parabasis autem semper μέλος σὺν ἀναπ. καὶ τροχ. est. An praeter systemata anapaestica etiam tetrametri trochaici ceteris versibus parodorum tragicarum intermixti fuerint, affirmare haud ausim. Nam cum frustra trochaicos tetrametros in parodis tragoediarum, quas aetas tulit, quaesiveris, tum ne testimonio quidem, quod Schol. Acharn. 210 praebet: γέγραπται δὲ τὸ μέτρον τροχαϊκὸν πρόσφορον τῇ τῶν διωκόντων σπουδῇ. ταῦτα δὲ ποιεῖν εἰώ-

---

confer Myrianth p. 114—115. In medio exodo reperiuntur haec syst. anap.: Prom. 1067—1071, Ant 1257 1260, Oed. R. 1297—1306, Andr. 1166—1172, 1266—1230, Electra Eur. 1232—1237, Troad 1251—1260, Hipp. 1342—1346, Suppl. Eur. 1114—1122, Phoen. 1480—1484, Suppl Aesch. 978—990, Agam. 1339—1341, quibus a coryphaeo recitandis sive histriones sive chorus ipse gressus faciunt. — Tetrametri autem trochaici in medio episodio positi inveniuntur tantum uno loco, Pers 249 259, histrionis adventum indicantes.

55) Cf. Myriantheus p. 8—34, 39—48, 111—122.

56) Ita rectissime G. Hermannus stasimi Aristotelici significatum in Epit. Mert. 665 explicavit, cum antea de eo longe falsissimam sententiam in edit. sua A. P. 142 protulisset. — Ab hoc significatu, ut Myriantheus 120, adn. 9, non male animadvertit, discrepat illud stasimum Helenae 515—527, quod, cum epiparodus sit, manifesto a choro scaenam introeunte canitur.

θασιν οἱ τῶν δραμάτων ποιηταὶ κωμικοὶ καὶ τραγικοί, ἐπειδὰν δρομαίως εἰσάγωσι τοὺς χορούς, ἵνα ὁ λόγος συντρέχῃ τῷ δράματι aliquid tribuendum est. Satis enim nota est illa neglegentia, qua grammatici talia autumare solebant.[57]). Sed si recte stasimum Aristotelicum interpretati sumus, ad id sine dubio etiam cantica chori, quae saltationis indicia praebent, e sententia quoque Aristotelica nimirum referenda sunt, quandoquidem haec chorica pari modo atque cetera sunt cantica chori in scaena astantis sive stationes suas (στάσεις?) tenentis, quod imprimis verbum ἵστασθαι, unde vox stasimi manifesto derivata est, significat. Neque cantica cum saltatione coniuncta in tragoediis Graecis tam parvo numero[58]) erant, ut, si re vera eo tempore, quo Aristoteles Artem Poeticam conscripsit, haec cantica e numero stasimorum excludebantur, ab eo perfacile praetermitti possent. Huc accedit, quod in tragoedia vetustissima cantica chori in scaena astantis vix sine saltatione acta esse cogitari potest[59]).

Contra grammaticos discrimen quoddam inter stasima, quae dicuntur, et cantica cum saltatione coniuncta percepisse ex his locis evincitur: 1) Schol. Trach. 216 τὸ μελιδάριον οὐκ ἔστι στάσιμον, ἀλλ' ὑπὸ τῆς ἡδονῆς ὀρχοῦνται; 2) Tzetz. IX, 94—97 καὶ δὴ κατ' Εὐκλείδην' . . . . ὑπορχηματικόν[60]); 3) Athen. 613 C ἡ ὑπορχηματικὴ ὄρχησίς ἐστιν, ἐν ᾗ ᾄδων ὁ χορὸς ὀρχεῖται; 4) Poll. 4, 35, ubi praeter ceteras partes fabularum etiam ὑπορχήματα commemorantur. Atque grammatici propterea cantica cum saltatione coniuncta (ὑπορχήματα) a stasimis

---

57) Sic etiam Myriantheus p. 40, adn. 1; 116, adn. 5.

58) De his canticis agit Christ, Metrik der Gr. u. Römer (1879), p. 692.

59) Cf. Wilam. Her., vol. I, p. 76¹, adn. 38.

60) Apud Tzetz. in tract. pros. (Westph. Prol. zu Aesch. p. XLV) hoc legitur: ὑπόρχημα [ἐπὰν ὁ χορηγὸς ᾠδάς χεῖν λέγεται, τὸ] δ' ἂν εἴη μᾶλλον τῶν σατύρων, ἐκεῖνοι γὰρ ᾄδοντες ἅμα καὶ ὀρχοῦνται.

segregasse videntur, quia apud eos vox στάσιμον (ab ἱστάναι derivata 9) longe alium sensum atque apud Aristotelem habebat, scilicet canticum chori uno loco stantis hoc est se non moventis, ut e locis sequentibus clarum fit: 1) Schol. ad A.P. O. 12 (Vahlen³) τὰ δὲ στάσιμά ὡς ὅτε ἵσταται καὶ ἄρχεται τῆς συμφορᾶς τοῦ δράματος; 2) Schol. ad Phoen. 202 Τύριον οἶδμα . . τοῦτο τὸ μέλος στάσιμον λέγεται. ὅταν γὰρ ὁ χορὸς μετὰ τὴν πάροδον (quo verbo introitus chori ipsius cogitatur) λέγῃ τι μέλος πρὸς τὴν ὑπόθεσιν ἀνῆκον ἀκινήτως μένων, στάσιμον λέγεται τὸ ᾆσμα; 3) Tzetz. 54 seq. ὅταν χορὸς στὰς ἐμπαρᾳδῇ μέλος ὡς Ὠκεανοῦ τις ὕδωρ λέγεται στάζειν (Hipp. 121) στάσιμον μέρος εἴληχε κλῆσιν φέρειν, quae ex Euclide grammatico sumpsit; 4) Schol. Ran. 1280 Στάσιμον μέρος ἃ ᾄδουσιν ἱστάμενοι οἱ χορευταί; 5) Schol. ad Vesp. 270, ubi re vera parodum habemus: πρὸ τῶν θυρῶν τοῦ Φιλοκλέωνος στάντες οἱ τοῦ χοροῦ τὸ στάσιμον ᾄδουσι μέλος . . . . τὰ δὲ στάσιμα ὡς τὸ παρόν, καὶ παρ' Αἰσχύλῳ· στένω σε τᾶς οὐλομένας τύχας, Προμηθεῦ (Prom. 399), quod scholium ut novicium parvi momenti est. Atque si quaerimus, qua via grammatici ad hanc notionem stasimi tam valde ab Aristotele discrepantem pervenerint, ad illud testimonium nobis confugiendum est, quod in Etym. M s. v. προσῴδιον (l. προσόδιον) traditum est: Ἰστέον, ὅτι τῶν μελῶν καὶ τῶν ὕμνων τὰ μὲν καλεῖται προσόδια, τὰ δὲ ὑπορχήματα, τὰ δὲ στάσιμα. Καὶ προσόδια μὲν τὰ λεγόμενα ᾄσματα εἰσφερομένων εἰς τὸν βωμὸν τῶν ἱερείων παρὰ τὸ προσιόντων εἰς τὸν βωμὸν τῶν θυμάτων ταῦτα λέγειν. Ὑπορχήματα δέ ἅτινα πάλιν ἔλεγον ὀρχούμενοι καὶ τρέχοντες κύκλῳ τοῦ βωμοῦ καιομένων τῶν ἱερείων. Στάσιμα δὲ ἃ ἑστῶτες ὕστερον ἔλεγον, ἀναπαυόμενοι μετὰ τὸ κύκλῳ δραμεῖν τοῦ βωμοῦ. Eodem spectat Procli Chrestom. p. 346, 8 (ed. Gaisford): περὶ δὲ μελικῆς ποιήσεως φησὶν ὡς πολυμερεστάτη τε καὶ διαφόρους ἔχει τόμας. ἃ μὲν γὰρ αὐτῆς μεμέρισται θεοῖς . . . καὶ εἰς

θεοὺς ἀναφερέσθαι ὕμνον, προσόδιον . . . . . ὑπορχήματα; p. 348, 10 ἐλέγετο δὲ τὸ προσόδιον, ἐπειδὰν προσίασι τοῖς βωμοῖς ἢ ναοῖς. καὶ ἐν τῷ προσιέναι ᾔδετο πρὸς αὐλόν· ὁ δὲ κυρίως ὕμνος πρὸς κιθάραν ᾔδετο ἑστώτων; p. 350, 17 ὑπόρχημα δὲ τὸ μετ' ὀρχήσεως ᾀδόμενον μέλος ἐλέγετο . . . . Ergo grammatici vetustiores e ratione, qua carmina chori lyrici agebantur, tria genera eorum distinxisse videntur: unum chori ad aram gradientis = προσόδια (Aufzugslieg), alterum chori ante ipsam aram stantis = στάσιμα (Stehlieder), tertium chori circa eam saltantis = ὑπορχήματα (Tanzlieder)[61]. Neque iniuria grammatici id fecerunt, cum in carminibus chori lyrici indicia huius triplicis differentiae praesto sint[62]). Quae cum ita sint, inde quod grammatici posterioris aetatis eam differentiam, quae in carminibus chori lyrici agendis statuta erat, in carmina chori scaenici transtulerunt, factum esse videtur, ut e stasimis chori scaenici carmina cum saltatione coniuncta segregarentur[63]). Neque aliunde factum est, ut definitiones grammaticorum ad parodum tragicam pertinentes, quas supra protuli, prorsus naturam prosodiorum redderent[64]). Tamen cum e ratione, qua carmina chori scaenici peragebantur, omnia eius carmina necessario in cantica chori scaenam introeuntis, in ea astantis, ab ea exeuntis dividi debuerint, ac re vera divisa fuerint[65]), iniuria grammatici posterioris aetatis illam divisionem carminum chori lyrici in carmina chori scaenici transtulisse videntur neque causa est,

---

[61]) Ita de hac re iudicavit Wilam., Her., vol. I. p. 75—76¹.

[62]) Cf. Pind. P. 4, 1: σάμερον μὲν χρή σε παρ' ἀνδρὶ φίλῳ στᾶμεν. Atque Christ in edit. Pind., an carmen quoddam a choro stante aut gradiente cantatum fuisset, demontrare conatus est

[63]) Aliter Ascherson p. 442—446, Fl. Jahrb., Suppb. IV.

[64]) Aliter Schmidtius, de par. not., p. 17—18.

[65]) Cf. Ascherson p. 428—430 l. l.; Hermanni opusc. IV, 2, 161. — Aliter G. Oehmichen, l. l., p. 14.

cur eorum ingenium minus acutum ipsi Aristoteli praeferamus[66]). Atque etiam nonnullos grammaticos posterioris aetatis sententiam Aristotelicam sequi non veritos esse e Tzetz tract. 51—52: ἄλλοι δὲ στάσιμόν φασι χοροῦ μέρος πλὴν ἀναπαίστου καὶ τροχαίου τῶν μέτρων conicere licet.

Ut plane stasimi Aristotelici definitionem absolvamus, addendum est in definitione stasimi, ut tradita est, mentionem euis collocationis desiderari. Nam cum parodus etiam μέλος ἄνευ ἀναπ. καὶ τροχ. esse possit necessarium est, ut in definitione stasimi aliquid veluti μετὰ τὴν πάροδον sive μετ' ἐπεισόδιον commemoretur, quo etiam Tzetz. 46 — 47: στάσιμον — μετ' εἴσοδον sc. χοροῦ nos adducere potuit[67]). Tamen id Aristotelem scribere prorsus non opus erat, quia unusquisque e definitione parodi id elicere potuit. Ad quam sententiam affirmandam momentum afferunt etiam hi versus Tzetziani: στάσιμόν φασι χοροῦ μέρος πλὴν ἀναπαίστου καὶ τροχαίου τῶν μέτρων, quibus omnino definitio Aristotelica, ut tradita est, redditur.

Ultima pars tragoediae e partitione Aristotelica est exodus: ἔξοδος — μέρος ὅλον τραγῳδίας μεθ' ὃ οὐκ ἔστι χοροῦ μέλος. Quae cum ex usu sermonis vulgaris manifesto parodo chori opponatur, imprimis choricum significasse videtur, quo chorus in vetustissimis tragoediis e scaena egredi solebat[68]). Atque re vera Aeschyli Suppl., tragoedia vetustissima, quam manu tenemus[69]), certe tali μέλει χοροῦ ἄνευ ἀναπ. καὶ τροχ. concluditur. Tamen illud choricum, quo tragoedia vetustissima concludi so-

---

[66]) Sic de hac re Wilam. in Her., vol. I, p. 76[1], adn. 38 iudicasse videtur. — Aliter Mueller p. 327—373, Mus. Rhen. V, quem fere omnes posteriores secuti esse videntur.

[67]) Cf. Westph. p. 65.

[68]) Cf. adn. 65.

[69]) Cf. Hermes, vol. 21, p. 603, adn. 1.

lebat, quoniam cum egressu chori e scaena coniunctum erat, etiam σὺν ἀναπ. καὶ τροχ. esse potuit. Ergo tantum decursu temporis factum est, ut chori tragici abitus e scaena non per tale choricum, sed per parvas dictiones coryphaei eius fieret. Quae dictiones maximam partem ex systematis anapaesticis constantes[70]) semper sibi nomen illius satis prolixi chorici servavisse ex his locis colligitur: 1) Tzetz. IX, 73 τὴν ἔξοδον, τὸ πέμπτον ἀκροαμέρος μετ' ἐμμέλειαν ἐστιν εἰς τέλος; cf. etiam 24—25: ἡ δ' ἔξοδός τις τυγχάνει χοροῦ λόγος (sc. colloquium coryphaei cum histrionibus exeuntibus) μεθ' ὃν χοροῖς οὐκ ἔστι τε λέγειν μέρος; 2) Tract. Coisl Kaibel X, § 9 ἔξοδός ἐστι τὸ ἐπὶ τέλει λεγόμενον τοῦ χοροῦ, qua definitione exodi comicae sine dubio definitio exodi tragoediarum, ut ea a grammaticis constituta erat, restituitur[71]): Jnde fieri potuit, ut Aristoteles a nomine exodi, qua in tragoediis posterioris aetatis fines ultimarum partium actionis histrionalis effici solebat, totas illas ultimas partes actionis histrionalis exodos appellaret, praesertim cum illae ultimae partes actionis histrionalis, qua tragoedia posterioris aetatis concludi solebant, locum illius cantici satis longi occupasse videri potuerit. Sic igitur factum est, ut in C. 12 A. P. non parodus, sed prologus exodo opponeretur. Contra grammatici, quorum opiniones tantum illi duo loci tract. Tzetz. et Coisl. supra allati praebere videntur, semper parodo exodum opponebant neque usquam, quatenus ex silentio concludere licet, definitionem Aristotelicam probaverunt.

Ultimum est, ut videamus, an omnium tragoediarum rationem Arisoteles habuerit. Atque cum ex septem Aeschyleis tragoediis tantum una canticum ἀπὸ σκηνῆς praebeat, contra ex septem Sophoclis tragoediis tantum duae,

[70]) Tetrametris trochaicis a choro sc. coryphaeo recitatis tantum duae tragoediae concluduntur: Oed. R. et Ion.

[71]) Cf. adn. 29.

ex Euripideis autem sedecem[72]) tres[73]) canticum ἀπὸ σκηνῆς non habeant, fieri non potest, quin statuamus illa verba: κοινὰ μὲν ἁπάντων ταῦτα, ἴδια δὲ τὰ ἀπὸ σκηνῆς καὶ κόμμοι eo consilio praecipue dicta esse, ut ea divisio tragoediarum, quae hoc loco statuitur, pari modo et tragoedias vetustiores id est Aeschyleas et tragoedias recentiores id est Sophocleas et Euripideas comprehendere posset[74]). Neque haec verba tantummodo propter tragoedias aequalium poetarum, qui etiam rarius τὰ ἀπὸ σκηνῆς quam Soph. et Eur usurpare potuerunt, dicta esse possunt cum in Arte Poet. frequenter tragoediae Aeschyleae commemorentur.

Sed quominus haec sententia plane approbetur, ante omnia Persae et Suppl. Aesch. obstare videntur, quia his tragoediis prologus deest. Quem cum Aristoteles omnium tragoediarum communem esse dicat, nullo modo fieri potest, ut aliquid ab Aristotele de tragoediis prologo carentibus hoc loco dictum sit, quamquam ad id nos aducere potuerunt verba paraphraseos Averrois a Fr. Heidenheinio in Fleckeisianis Annal. phil. 17 suppl. editae, p. 367, 15: „nonnumquam tamen afferunt laudem sine prologo", in quibus verbis „laudem" ipsam tragoediam significare ex p. 359, 12; 359, 19 eiusdem paraphraseos affirmari potuit. Neque tragoedias nonnumquam prologo carere tantum ob tragoedias Aeschyleas commemorari necessarium erat, cum etiam posteriore tempore tragoedias sane perraro sine prologo esse potuisse ex Anon. Rheso pateat. Jnde concludere licet, Aristotelem in sua partitione constituenda tragoedias vetustissimas pariter atque posterioris aetatis, quae ab universa forma aliquantum aberrarent, quia utriusque generis tragoediae satis parvo nu-

---

[72]) Dico sedecem, quia e commentatione nostra Cyclopem, Rhesum, Iphig. Aul. exclusi ob causas, quae neminem fugere possunt.

[73]) Cf. p. 12. h. diss.

[74]) Aliter Westphal p. 8.

mero essent, prorsus neglexisse[75]). Quae sententia etiam eo confirmatur, quod exodi definitio Aristotelica in tragoediam vetustissimam Aeschyleam id est Suppl. non quadrat. Haec tragoedia, ut iam antea dixi, per *μέλος χοροῦ*, et quidem *ἄνευ ἀναπ. καὶ τροχ.* finitur[76]).

---

[75]) Cf. G. Herm., comm. ad A. P. XII, 6.

[76]) Quod ad exodum Eum. et Septem pertinet, cum iis sine dubio definitio Aristotelica congruit. Canticum enim Eum. 1033, quo tragoedia ad finem perducitur, non chori ipsius, sed parachoregematis id est comitum dearum est; in Septem autem illud χορικόν, quo tragoedia, ut nobis tradita est, finitur, non pro μέλος χοροῦ habendum est, quoniam tantum e syst. anap. constat. — Quod autem ad definitionem stasimi Aristotelicam attinet, eam ab usu Aeschyleo discrepare tantum ii affirmare possunt, qui cum Westphalio p. 63 (p. 13) Eum. 917 stasimum statuunt, quia id canticum re vera anapaestos versus continet. Tamen id canticum ne in loco quidem stasimi positum esse postea intellegetur.

Caput II.

De progressionibus scaenicis, quae in tragoediarum conformatione scaenica observentur.

Quoniam e capite antecedente partes scaenicas, quas Aristoteles in tragoediis constituit, non tam arbitrio ac libidini eius quam rationi ac condicioni ipsarum deberi apparuit, ad progressiones conformationis scaenicae tragoediarum intellegendas ac percipiendas satis erit, si, quas scaenicam mutationes eae partes tragoediarum inde ab earum primordiis usque ad Euripidem perpessae sint, exponemus.

In qua re exponenda incipimus a prologo Aristotelico.

Tragoediam vetustissimam prologum, ut ab Aristotele definitus est, ignorasse certo colligi potest, quod ex tragoediis traditis illae, quae optimo iure vetustissimae putantur, dico Persas et Suppl. Aesch., prologo ut parte tragoediae chori introitui praemissa carent, etsi, quod ad argumentum fabularum pertinet, perapte eum habere potuerunt[77]). In qua re mos et consuetudo vetustissimae tragoediae ante Aeschylum vigentis ostenditur, cum Phrynichus longe ante has duas Aeschyleas fabulas, ut ex argumento Pers. apparet, prologo iam usus est. Atque

[77]) Sic in Suppl. Aesch. Donaus, cum chori ductor ac rector sit, iam ab ipso principio fabulae in scaena invenitur. Ergo facile fieri potuit, ut ante chori ipsius canticum, quo tragoedia incipitur, Danaus prologum recitaret.

ipse numerus partium, e quibus singulae Aeschyleae tragoediae constant, prologum ad formam vetustiorem tragoediarum, quae eo carebat, adiunctum esse satis arguit ac demonstrat. Nam cum Persae et Suppl., quae prologo carent, parodum bipertitam ac tria episodia praebeant, eandem bipertitam parodum eundemque numerum episodiorum ostendunt etiam Agam. et Septem, qui prologum introitui chori praemissum habent[78]). Itaque partes histrionis in principio erant, ut post chori dictionem vel canticum ageret (*ὑποκρίνεσθαι*) atque postea factum est, ut etiam ante canticum chori ageret (*προλογίζειν*)[79]). Quae sententia etiam testimoniis ad primordia tragoediarum pertinentibus fulciri videtur, quamquam per se ipsa neque satis clara neque satis certa sunt[80]). Ita Diog. Laert. 3. 56: *ὥσπερ δὲ τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορόν, καὶ δεύτερον Αἰσχύλος, τὸν δὲ τρίτον Σοφοκλῆς* quae seq. aeque atque Pollux 4, 123: *ἐλεὸς δ' ἦν τράπεζα ἀρχαία ἐφ' ἣν πρὸ Θέσπιδος εἷς τις ἀναβὰς τοῖς χορευταῖς ἀπεκρίνατο* histrionis recitationem post, non ante, chori cantica ponunt vel ponere videntur[81]).

Inventorem prologi id est eum, qui primum prologo usus est, Aristotelem notum habuisse e p. 1449 b 4 A.

---

78) Singulas partes harum quattuor Aeschylearum tragoediarum enumeratas invenies in appendice huic dissert. addita.

79) Jdem de hac re de Wilam. p. 87¹ Herc. I et Bethius, l. l., p. 168 iudicaverunt.— Aliter Leo, Plaut. Forsch. p. 171.

80) De interpretatione horum testimoniorum vide Hiller, Hermes 21, p. 326, 327 seq.

81) Ex illa voce ἐπεισόδιον nihil certi de vetustiore vel recentiore aetate prologi efficitur, quia histrio, qui ad chorum accedit, ergo verba chori sequi debet (ὑποκρίνεσθαι), etiam chori sive cantico primo sive introitui in scaenam verba praeponere potuit (προλογίζειν).

P. elicitur, ubi de comoedia haec dicuntur: τίς δὲ πρόσωπα ἀπέδωκεν ἢ προλόγους ἢ πλήθη ὑποκριτῶν καὶ ὅσα τοιαῦτα ἠγνόηται. Tamen p. 1449 a 15—19, quo loco mutationes, quas tragoedias passa est, memorantur, nomen inventoris reticetur, quod non solum e lacuna quadam huius loci explicari potest, sed etiam e brevitate Aristotelis, qua tantum summas res attigisse videtur[82]). Quod autem de hac re apud Themistium 26, p. 316 d. traditur: καὶ οὐ προσέχομεν Ἀριστοτέλει ὅτι τὸ μὲν πρῶτον ὁ χορὸς εἰσιὼν ᾖδεν εἰς τοὺς θεούς, Θέσπις δὲ πρόλογόν τε καὶ ῥῆσιν ἐξεῦρεν, Αἰσχύλος δὲ τρίτον ὑποκριτὴν καὶ ὀκρίβαντες, τὰ δὲ πλείω τούτων Σοφοκλέους ἀπελαύσαμεν καὶ Εὐριπίδου, id vel inde pro nihilo habendum est, quia Themistium in universum neglegenter locos aliorum scriptorum attulisse satis constat[83]). Praeterea cum prologus, quem in Phrynichi Phoen. primum ocurrisse ex argum. Pers. scimus, ab Aeschylo in Persis et Suppl., quas longe post illam fabubam scripserat, neglegatur, nullo pacto fieri posse mihi videtur, ut prologus tam antiquus sit, quam ipsa adiunctio histrionis ad chorum, quae res sine dibio a Thespide facta est. Quapropter confidenter statuendum est, prologum post Thespidem longe, fortasse ab ipso Phrynicho inventum ac parodo chori praepositum esse[84]). Ipse autem prologus histrionalis non tam ad fabubam exponendam quam ad speciem rei vere factae servandam in tragoedias inductus esse videtur. Nam cum initium Aesch. Pers. et Suppl. ad argumentum exponendum partes chori satis valuisse neque partes histrionum necessarias fuisse doceant, tum argumento Phryn. Phoen. et Aesch. Prom. in censum vocato prologum histrionalem harum duarum tragoediarum prae-

---

82) Cf. Hiller p. 336.

83) Cf. Hiller p. 332—335.— Aliter de hac re iudicaverunt Stahl, l. l.; Fabia p. 62 (Les prologues de Térence 1888).

84) Cf. Hiller, adn. 1 ad p. 336.

cipue ad speciem rei vere accidentis servandam compositum esse unusquisque sibi persuadebit. Tamen posteriore tempore cum hic prologus peraptus ad exponendam fabulam esset, nimirum factum est, ut non tam ad speciem rei vere accidentis servandam componi videretur quam ad fabubam exponendam[85]).

Jnde, quod Phrynichus pari modo ac Thespis, Choerilus, Pratinas ad tragoedias agendas tantum unum histrionem habebat[86]), facile colligitur, prologum antiquissimum ex una scaena, quae formam soliloquii sibi vindicabat, constitisse finemque eius per abitum eius, qui eam effecerat, denotatum esse, quatenus ad episodium primum efficiendum alia persona quam illa *προλογίζουσα* necessaria erat. Tum enim histrio prologo ad finem perducto statim extra scaenam se conferre debebat, quo pausa, quam canticum chori introeuntis praebebat, ibi ad vestem ac personam mutandam uteretur[87]). Sed nonnumquam etiam propter speciem rei factae servandum prologi finem per abitum histrionis, qui eum egerat, denotatum esse satis verisimile est. Nam si histrio *προλογίζων* propter argumentum ad aliquem extra scaenam habitantem se conferre debebat, a quo actio evolvenda pendebat, tum nulla alia via ad speciem rei fectae servandam patebat, quam ut canticum chori introeuntis eam pausam praebe-

---

[85]) Cf. Bethe, l. l., p. 188—189.

[86]) Aeschylum in tragoedias alterum histrionem induxisse Aristoteles p. 1449 a 15 seq. testatur.

[87]) Res per se ipsa tam clara est, ut aliquid de eius probabilitate dici non opus sit. Atque inde a Choerilo saltem poetas tragicos vestimenta ad personas novas intorducendas mutare solitos esse ex Suidae verbis s. v. Χοιρίλος traditis concludi potest: Χοίριλος Ἀθηναῖος, τραγικός . . . . οὗτος κατά τινας τοῖς προσωπείοις καὶ τῇ σκηνῇ τῶν στολῶν ἐπεχείρησε. Cf. Hiller, adn. 1 ad p. 336.

ret, donec histrio προλογίζων ipse reverteretur vel alius ab eo in scaenam introvocatus prodiret[88]).

Altero histrione ab Aeschylo tertioque post eum inducto[89]) formam primariam prologi, quam modo explanavi, se commutare consentaneum erat. Ac primum quidem prologum tantum ex una scaena formam soliloquii habente constare non ultra necessarium erat. Nam poetae plus quam unum histrionem habentes iam in prologo colloquium inter duos histriones instituere potuerunt neque eis quicquam obstabat, quominus praeter introitum histrionis, a quo prologus initium sumit, et abitum, quo finitur, etiam alios introitus et abitus histrionum admitterent. unde prologus in plus quam unam scaenam divideretur. Atque re vera in prologis Aeschyleis, Sophocleis, Euripideis cum et forma soliloquii et forma colloquii inveniatur, tum numerus scaenarum, e quibus singuli prologi constant, inter unam et quattuor scaenas fluctuat[90]). Quae ratio inter prologos ex una scaena et prologos ex pluribus scaenis constantes intercedat, demonstrat tabuba sequens:

Prologi:	Ex una scaena constantes	Plus quam una scaenam habentes	Summa
Aesch.	2	3	5
Soph.	2	5	7
Eurip.	2	14	16

Itaque quo magis tragoediae ab eo tempore, quo poetae unum

[88]) Quod interdum eo modo, quo dixi, soliloquium, e quo prologus constabat, cum actione coniunctum esse posse ex Agam. 1—39 colligi potest

[89]) Quod ad tertium histrionem pertinet, confer Wil., Hermes 21, p. 613, adn. 1.

[90]) Quot scaenas singuli prologi praebeant, invenies in appendice huic dissertationi addita. Quattuor scaenas praebet tantum prologus Electrae Euripideae.

actorem usurpare solebant, distant, eo saepius earum prologi plus quam unam scaenam exhibent.

Quod autem ad rationem, qua singulae scaenae ad prologum efficiendum inter se iunguntur, ea duplex esse potest. Nam histrio alter, per cuius introitus nova scaena instruitur, aut ad histrionem ante eum in scaenam versantem se confert cum eoque colloquitur, aut in scaenam post abitum eius prodit. Inde fit, ut in singulis prologis sane plus quam unam scaenam praebentibus, de quibus tantum hoc loco sermo esse potest, actio personarum agentium modo continuetur, modo interrumpatur. Ita ex tribus Aeschyli prologis, qui plus quam unam scaenam habent, duo ($66^1|_2$%) actionem personarum agentium continuant, unus ($32^1|_2$%) eam interrumpit[91]. Apud Sophoclem autem ne in uno quidem prologo eorum quinque, qui plus quam unam scaenam habent, continua actio personarum agentium interrumpitur. Atque satis dubium est, num in prologis illarum Sophoclis tragoediarum, quas non habemus, interruptio actionis continuae personarum agentium reperiri potuerit, cum ex Electrae prologo, quam artificiose et curiose poeta eam effugere studuerit, satis clarum sit. Longe aliter res se habet in Euripide. In eius enim 14 prologis, qui plus quam unam scaenam praebent, pars dimidia eorum, ergo 7 prologi (50%), continuam actionem personarum agentium interrumpunt[92].)

Deinde prologi finem, altero ac tertio actore addito, per abitum histrionis denotari non amplius necessarium erat. Nam si alia nova persona ad episodium sequens

---

[91]) Ex prologis Aecchyleis, qui plus quam unam scaenam habent, Prom. et Septem continuam actionem personarum agentium conservant, Eum. 93 eam interrumpit.

[92]) Ex prologis Euripideis, qui plus quam unam scaeuam praebent, Alc., Med., Andr., Heracl., Herc., Hel., Or. continuam actionem personarum agentium observant, contra Hipp. (57), Hec. (58), Troad. (97), Jph. Taur. (67), Jon (82), El. (81), Phoen. (87) eam interrumpunt.

efficiendum necessaria erat, iam eius partes ab altero vel tertio histrione, qui in prologo non egerat, suscipi potuerunt[93]). Sin autem omnes tres histriones in prologo agere debebant, res ita fieri potuit, ut colloquium histrionis secundi cum tertio vel soliloquium utriusvis post abitum histrionis primi institutum pausam praeberet, quam histrio e scaena abscedens ad vestimenta mutanda adhiberet[94]). Praeterea, si unus vel duo histriones propter speciem rei factae servandam extra scaenam aliquo se conferre debebant, statim histrio, qui adhuc actione vacabat, scaenam introiens agendo eam pausam explere potuit, quae ad speciem rei factae servandam necessaria erat, donec ille histrio ipse reverteretur vel alius ab eo in scaenam introvocatus prodiret[95]). Inde fit, ut in tragoediis, quas manu tenemus, interdum finis prologorum non solum non per scaenam ab hisrionibus omnibus vacuefactam indicetur, sed ne per unius quidem histrionis abitum denotetur[96]). Quae ratio intercedat inter prologos, quorum fines

---

[93]) Ita in Herc. Eur. histriones, qui prologum effecerunt, Amphitryo et Megara, scaenam choro introeunte ob vestimenta mutanda relinquere non debebant quia ad episodium primum efficiendum tertius actor praesto erat, qui partes Lyci post parodum susciperet.

[94]) Sic in Hipp. Eur. parodus non necesitate quadam ad vestimenta mutanda ab eo histrione, qni simul partes Veneris et Phaedrae agere debebat adhibenda erat, quoniam ad id efficiendum etiam ultimae scaenae prologi, ubi post eius abitum Hippolytus, comites famulusque eius agunt, pausam praebere possunt.

[95]) Ita tempus, quod post v. 82 Electrae Eurip. praetermittendum est, donec Electra aquam e fonte petens, specie rei factae servata v. 110 revertatur, expletur non cantico ohori introeuntis, sed sermone Orestis statim post eius abitum in scaenam introeuntis.

[96]) Prologus finitus per abitum cuiusdam histrionis scilicet ultimae scaenae, si prologus plus quam unam scaenam habet, non denotatur in his tragoediis: Prom, Soph. El., Oed. in Col., Med., Hec., Andr., Heracl., Hercules, Eur. Suppl., Tr.,

per abitum histrionum et prologos, quorum fines non per abitum denotantur, illustrat tabula sequens:

Prologi finis	Per abitum histrionis omnino non denotatur:	Per abitum histrionum denotatur:		
		Omnium	Nonnull.	Summa
Aesch.	1 (20%)	4 (80%)	—	4 (80%)
Soph.	2 (28½%)	2 (28½%)	3 (43%)	5 (71½%)
Eurip.	10 (62½%)	6 (87½%)	—	6 (37½%)

Itaque in prologi fine denotando ea progressio observatur, ut decursu temporis in eo magis magisque abitus histrionis neglegatur.

Atque prologo finito histriones nonnulli in scaena propter duas causas porro permanent. Quorum prior (α) in eo posita est, quod iis aut statim in parodo commatica aut paulo post in episodio primo agendum est Altera causa (β) eo continetur, quod propter statum rerum, quem initium tragoediae ponit, a scaena non divelli possunt[97]). Quae ratio inter has duas causas intercedat, apparet ex hac tabuba:

Persona prologo finito in scaena permanet	Ob causam „α“:	Ob causam „β“:
Aesch.	—	1
Soph.	4	1
Eurip.	6	4

Ergo cum Aeschylus tantum uno loco histrionem ob statum

Eur. El., Hel., Oreste. Contra per abitum omnium histrionum, ergo per scaenam ab histurionibus vacuam finis prologi in his tragoediis denotatur: Septem., Agam., Choeph. (quia Or. et Pyl sub fine prologi post ipsam scaenam se abdiderunt). Eum., Ant, Aiace, Al:., Hipp., Iph. Taur., Ion (quia Ion v. 183 in templum se contulisse videtur, unde v. 219 chorus eum in scaenam vocat), Phoen., Bacch. Praeterea habemus tragoedias nonnulas, in quibus finis prologi per abitum unius histrionis denotatur, cum alter in scaena porro permaneat. Ita res se habet in Oed. R., Trach., Philoct.

rerum, quem tragoediae initium ponit, prologo finito in scaena permanere toleravisset, apud Sophoclem et Euripidem persaepe histriones prologo finito in scaena propterea permanent, quia in parodo commatica vel episodio sequente agere debebant.

Prologi conformatione scaenica perspecta ad parodum considerandam nos convertamus.

Cum tragoedia antiquissima, ut in antecedentibus explanatum est, initium a cantico chori scilicet scaenam introeuntis ceperit, pro parodi antiquissima forma canticum a choro solo scaenam introeunte cantatum habendum est. Atque histrio, qui ad primum episodium efficiendum post id χορικόν chorum alloqui debebat, argumenti ratione habita, potuit, aut ab ipso principio huius cantici in scaena versari, veluti in Suppl. Aesch. 1—181[98]), aut tum demum in scaena introire, cum canticum chori ad finem perductum esset, veluti in Pers. 1—142.

Parodo chori parte quadam histrionali a Phrynicho, ut iam dixi, praemissa factum est, ut parodus a primo loco in alterum demoveretur, simulque ut per eam prologus a primo episodio seiungeretur. Hanc parodum altero loco positam a choro solum histrione ei non participante cantatam esse inde verisimile est, quod histrio προλογίζων, cum in primo episodio plerumque alia persona quam in prologo agere debuerit, pausam, quam parodus praebebat, ad vestimenta extra scaenam mutanda, adhibere coactus erat. Praeterea parodus altero loco posita etiam pausam praebere potuit temporis explendi, quod

[97]) In appendice cancellis rotundis saepsi nomina personarum, quas choro parodum canente ob causam „α“ in scaena manere oporteat; angulatis autem circumdedi nomina personarum, quae choro parodum canente ob causam „β“ in scaena manent.

[98]) Danaus cum nullo modo a choro divelli posset, sine dubio simul cum choro scaenam introiit.

inter prologum et primum episodium ad speciem rei factae servandam nonnumquam intercedere debebat. Quod praecipue fieri potuit, si prologus fabulae eo modo, quem in prologi conformatione scaenica commemoravi, cum actione coniunctus erat[99].

Numero actorum ab uno ad tres aucto ratio, quam inter parodum et prologum primumque episodium intercedere diximus, commutata est. Ac primum quidem, ut iam in prologi conformatione scaenica tractanda dixi, ea pausa, quam parodus praebebat, neque ad vestimenta mutanda neque ad speciem rei factae servandam necessario adhibenda erat. quoniam eam pausam nunc non solum parodus, sed etiam colloquium histrionum praebere potuit[100]. Ita fit, ut ex 28 parodis inter prologum et primum episodium positis quattuor, nempe Hipp. 121—169, Iphig. Taur. 123—235, Phoen. 202—260, Bacch. 64—169 (14%) pausam ad vestimenta mutanda necessariam, duo Septem 78—164 et Agam. 40—269[101] (7%) pausam temporis ad speciem rei factae servandam intermittendi, una tantum Aiax 134—200 ($2^1/_2$%) utriusque rei sc. et vestimentorum mutandorum et temporis ad speciem rei factae servandam intermittendi pausam praebeant, cum omnes ceterae parodi ($75^1/_2$%) neque vestimentorum mutandorum neque temporis ad speciem rei factae servandam

---

[99]) Cf p. 38 (adn. 87, 88).

[100]) Ita in Eur. Hecuba histrio, qui et partes umbrae Polydori et partes Ulixis agebat, pausam, quam parodus v. 98—177 praebebat, non ad verstimenta mutanda necessario adhibere debebat, quia ad id efficiendum etiam v. 178—215, ubi Polyxena cum Hecuba colloquitur, tempus praebere potuerunt. Similiter in Soph Antig. non necessario parodus v. 100—154 id tempus praebere debet, quod ad speciem rei factae servandam inter abitum Antig v. 99 et introitum custodis v. 222 intermittendum erat, quoniam id tempus etiam sermo Creontis v. 155—222 praebere potuit.

[101]) E quibus, cum v. 83 Clyt. in scaenam prodeat, tantum v. 40—82 id tempus praebere videntur.

intermittendi gratia composita esse videantur, ergo tantum ad prologos a primis episodiis seiungendos sive ad chorum introducendum, quod idem est, inserta esse videantur[102]).

Deinde numero actorum ad tres aucto facile fieri potuit, ut persona quaedam aut ob statum rerum, quem initium vel prologus tragoediae ponit, aut propterea, quia ipsa prologi actionis particeps etiam statim post parodum agere debebat, in scaena choro introeunte permaneret, unde forma parodi a cantico chori in scaena vacua agentis in colloquium chori cum histrione commutaretur. Tamen forma illa veteris parodi, quae a choro solo canebatur, tanta gravitate, ut tralaticia, apud poetas post Phrynichum florentes fuisse videtur, ut in omnibus tragoediis Aeschyleis excepto Prometheo pari modo atque in tragoediis veteribus Sophocleis scilicet Aiace, Ant., Oed. R., Trach. forma commatica h. e. colloquii chori cum histrione prorsus neglegeretur. Atque in nonnullis harum tragoediarum histrio quidam in scaena versans choro introeunte facile parodum commaticam efficere potuit. Ita in Aesch. Agam. a v. 83 Clyt. in scaena invenitur, in Choeph Electra simul cum choro v. 22 in scaenam prodit, in Oed. R. denique Oedipus v. 150 pari modo atque in Trach. Deianira v. 94 prologo finito in scaena choro introeunte permanet. Itaque cum poetae in his tragoediis consulto formam commaticam effugerint, etsi eius efficiendae peropportunam occassionem habuerint, confidenter concludendum est, illam commticam formam parodi, quam in Prom. 130—208 invenimus, exceptionem e regula esse. Quae exceptio sine dubio ei rei debetur,

---

[102]) Unde choricum quoddam ad speciem rei factae servandam compositum esse concludendum sit, facile partes actionis histrionalis illud circumstantes legenti apparebit. Quod autem ad vestimenta mutanda pertinet, quam distributionem personarum inter histriones in singulas tragoedias secutus sim, apparet ex annotationibus, quas ad appendicem huic dissert. additam ascripsi.

quod chorus scaenam introiens statim anxietatem Promethei sedare debebat. Itaque eo, quod Aeschylus in hac tragoedia ad tale argumentum aggressus est, auctor atque inventor formae illius commaticae factus est, ad quam considerandam nunc nos conferimus.

Ac Sophocles, quem formam commaticam parodi in tragoediis aetatis prioris prorsus neglexisse vidimus, eam unice in tragoediis posterioris aetatis usurpare videtur[103]). Tragoediae enim ab eo scriptae El., Phil., Oed. in Col., quae tres ad posteriorem aetatem spectant, praebent semper parodum commaticam, quamquam non semper argumenti ratio eam necessario efflagitasse videtur. Quam formam ut in El. 121—250 efficeret, ipsam Electram post monodiam v. 121 in scaenam porro permanere tolerat, quo chorus scaenam introiens ad eam accedere posset atque ab ea statum rerum, quem tragoedia ponit, comperiret[104]). Ad quam rem excusandam poeta absentia Aegisthi finxisse videtur. Cf. v. 310 seq., 517 seq. Pari modo artificiose neque satis ex ipsa natura argumenti se habet forma commatica parodi in Philoctete 135—218, ubi prologo finito Ulixeque abeunte Neoptolemus in scaena v. 134 Philoctetem exspectans fingitur, quo chorus ad eum accedat, ab eoque parodi commatice conformandae causa statum rerum exquirat. In Oed. in Col. sane forma commatica parodi 107—253 ab ipso argumento efflagitata esse videtur, quia Oed. dicto Apollinis oboediens in

---

[103]) De origine recentiore parodi commaticae aliquid Arnim p. 98 disputavit, quocum in ea re non consentire possum, quod e parodis commaticis eas parodos exlusit, in quibus persona parodo participans system. anapaest. recitat, quasi Aristoteles re vera parodum μέλος ἄνευ ἀναπ. καὶ τροχ. esse velit.

[104]) Ita res se habet in omnibus parodis commaticis praeter Hecubam 98—176, ubi res ex contrario se habet, quia in hac tragoedia statum rerum, quem initium tragoediae ponit, non chorus e persona in scaena versante, ut in ceteris parodis commaticis, sed ipsa persona a choro sc. coryphaeo scaenam introeunte exquirit.

loco sacro permanere debuerit, quamquam Colonei, e quibus chorus huius tragoediae constat, id non tolerare potuerunt, unde forma commatica omnino necessaria redditur.

Sin quaerimus (atque quaerendum est), quo modo Sophocles eo pervenerit, ut posteriore tempore tantum, ut videtur, parodum commaticam adhiberet, fieri non potest, quin eum ab Euripide ad hanc formam usurpandam commotum esse statuamus. Nam cum Sophocles a forma parodi sc. a solo choro cantata nondum destitisset, Euripides formam commaticam, quam ipse in Aeschyli Prom. repperit, iam in usum vocavit Sic Medea anno 431 a. Chr. n. acta parodum commaticam, Oed. Rex autem post eam (429? a Chr. n.) actus parodum a choro solo cantatam exhibet.

Quod autem ad Euripidem pertinet, ille nullo tempore unam tantum formam parodi, sed utramque omni tempore argumenti ratione habita usurpasse videtur Ita parodus chori in Alc. 77—135, Hipp. 121—169, Ion 181—236[105]), Phoen. 201—260 in scaena a personis vacuefacta fit, propterea que μέλος χοροῦ, h. e. canticum a choro sc. solo cantatum. est. Contra in Medea 131—213, Heracl. 73—110, Hec. 98—176, Troad. 153—196, Hel. 178—251, Iph. Taur. 123-235, El. 167—212, Or. 140—207 argumenti ratione habita parodum commaticam eo effecit, quod chorus ad personam in scaena versantem statum rerum perquirens se contulit. Ubi autem argumenti ratio commaticam formam necessario non efflagitavit, ibi, etiam si persona aliqua ob statum rerum, quem initium tragoediae ponit, choro introeunte in scaena invenitur, parodus formam commaticam sibi non vindicavit. Ita res se habet in Andr. 117—146 et Herc. 107—137, in quibus personae similacrorum ararumque supplices choro

---

[105]) Ion monodia finita v. 183 in templum se contulisse videtur, unde sub fine parodi v. 219 a choro ad ipsum templum adveniente evocatus parodi extremam partem commaticam effecit.

introeunte tacent. Praeterea ratio argumenti Bacch. et Suppl., ubi ab ipso principio tragoediae chorum simul cum persona προλογίζουσα in scaena invenitur, parodum commaticam necessario non efflagitare videtur, propterea eaque in his tragoediis parodum a choro solo cantatam habemus. Ac ne cui videatur temerarie a me affirmatum esse, Euripidem in parodi conformatione commatica ab ipsa ratione argumenti singularum tragoediarum pendere, necesse est, ut in sequentibus strictim singulas causas, quibus illa conformatio commatica debetur, examinemus. Ac primum quidem in Medea vociferationes Medeae pari modo atque in Heraclidis Jolai, quibus chori in scaenam ingressus necessario adducitur, ex ipso argumento oblatae esse videntur. Deinde in Hecuba et Troad. ad Hecubam post eius monodiam Troades, e quibus chorus harum duarum tragoediarum constat, consolandam advenisse non mirum esse potest, quia non solum communem sortem cum ea habent, sed etiam in vicinitate ipsius eius versantur. Tum in Helena cum ipsa Helena ob sortem Menelai a Teucro compertam planctus edidisset, necessarium erat, ut chorus ex eius popularibus constans ad eam consolandi causa accederet, eoque parodus commatica efficeretur. Postea in Iph. Taur. Iphig. sortem fratris pavens famulas suas ad somnium expiandum ad se convocasse, unde occasio parodi commaticae nascitur, satis consentaneum est atque ipso argumento probatur. Porro in Electra (Eur.) ad miseriam Electrae demonstrandam aptum erat, virgines eam ad sacra Junonis celebranda invitare, unde rursus parodus comatica ultro efficitur. Denique in Oreste necessarium erat, ut Electra fratrem aegrum custodiens chorum introeuntem moneret, ne fratrem introitu faciendo e somno excitaret. Tales vel similes occasiones parodi commatice conformandae ceterae tragoediae, ut a poeta constitutae sunt, non praebent, proptereaque sine dubio parodum a choro solo cantatam habent.

Ut ex antecedentibus elucet, omnium commaticarum

parodorum commune est, quod in illis semper ea persona agit, quae et in prologi ultima scaena et in episodii sequentis prima scaena agit. Cuius regulae unicam exceptionem Medeae parodus (131—213) praebet. Ibi enim nutrix, cuius praesentia parodi forma commatica praecipue efficitur, in primo episodio v. 214 seq. non ipsa agit, sed Medea, ad quam evocandam paulo ante v. 203 in regiam se contulerat. Tamen Medeae ipsius in scaena agentis loco in ultima scaena prologi v. 96 seq., 111 seq. pari modo atque in parodo v. 144 seq., 160 seq. ex interiore parte regiae eius planctus audiuntur, eisque ipsis magis quam verbis nutricis in scaena versantis conformatio commatica parodi huius tragoediae debetur.

Inde, quod parodus commatica prorsus locum parodi a choro solo cantatae occupat, ut ex iis, quae adhuc dixi, clarum est, satis explicatur, cur parodus commatica excepta Iphig. Taur. 123—235 et Hec. 98—176 semper strophicam et antistrophicam compositionem ostendat. Praeterea ad formam externam parodi id est ex sententia Aristoteleca totius primae dictionis chori illustrandam notandum est, quod in tragoediis vetustioribus nempe Pers., Suppl, Septem, Agam. et Soph. Aiace facile ea in duas partes dividitur: unam non strophicam chori introeuntis, ut e syst. anap. concluditur, alteram chori astantis, ut videtur. Quae divisio in duas partes parodi metro facta, excepto Aiace, etiam sensu probatur. Ex his duabus partibus dictionis primae chori decursu temporis tantum una relicta esse videtur, ita ut in ceterarum tragoediarum parodis vix tales duae partes, quales in illis tragoediis iam allatis inveniuntur, distingui possent. Quod autem ad Troades Eur. pertinet, ibi parodum tantum e v. 153—196, ergo ex uno cantico, v. 197—229 non accedentibus, constare postea demonstrabo.

Restat, ut aliquid de accessione histrionum choro parodum canente dicam, quod tantum in hoc genere cho-

ricorum, non in illo genere stasimorum, fieri videtur. Ipsae accessiones accidunt perraro atque ibi, ubi ad primum episodium incipiendum histrio quidam agere debet. Ita res se habet in Agam. parodo 40—269, ubi v. 83 Clyt. quippe sacrificatura tacens in scaenam prodit; Jon 184—236, ubi Jon v. 219 a choro ad templum adveniente evocatur, quo commatica pars illius parodi efficitur; Iph. Taur. 123—235, ubi Iphig. v. 137, postquam initium parodi factum est, scaenam introisse videtur. Simili modo res se habet etiam in Choeph., ubi Electra v. 22 simul cum choro tacens scaenam introisse videtur.

Tertio loco mutationes, quas conformatio scaenica episodii simulque stasimi perpessa est, considerare volumus.

Pro inventore episodii sine dubio Thespis habendus est, qui carmina chori tragici cum iambis recitatoris coniungens conditor ac parens, ut ita dicam, tragoediae ipsius factus est[106]). Utrum Thespis tantum unum episodium recitatoris iambi, qui certe unam eandemque personam ab initio usque ad finem fabulae repraesentabat, carminibus chori adiunxerit, an plus quam unum, ob defectum testium non diiudicari potest. Sed re dramatica decursu temporis aucta necessarium erat, ut numerus episodiorum augeretur, utque ea non ab una eademque persona susciperentur. Tamen cum poetae eo tempore tantum unum histrionem habuerint, factum est, ut ad vestimenta mutanda se conferrent. Quod iam a Choerilo profectum a Phrynicho propagatum esse satis verisimile est[107]). Atque

---

[106]) Haec dicta sunt e sententia Wilamowitzii, Hermes, vol. 21, adn. 2 ad p. 620 (Die Bühne des Aeschylos); Heracles I, 86¹ et Bethii, Proleg. zur Gesch. des Theaters im Alt., p. 45. Aliter de hac re iudicavit Hiller, Mus. R. N. S. 39, p. 336—338.

[107]) Quod ad Choerilum pertinet, confer adn. 87. Quo iure autem hoc loco Phrynichi mentionem faciam, apparet ex Suidae verbis s. v. Φρύνιχος traditis: οὗτος (δὲ) πρῶτος — γυναικεῖον πρόσωπον εἰσήγαγεν ἐν τῇ σκηνῇ.

cum pausas vestimentorum mutandarum uno histrione obtinente tantum chori cantica id est imprimis stasima praebere potuissent, necesse erat, ut episodium, priusquam ab Aeschylo alter histrio introduceretur, per abitum unius histrionis finiretur atque per introitum eius inciperetur, quatenus ad episodium sequens alia persona necessaria erat, quam ea persona, qua prius episodium adducitur. Simili modo ad tempus explendum, quod ad speciem rei factae servandam inter duo episodia nonnumquam intermittendum erat, tantum illa stasima pariter atque parodus, ut iam explanatum est, pausam necessariam praebere debebant ac poterant. Atque quoniam in tragoedia unius histrionis nulla res ordine, quo facto esset, reddi potuit, nisi in ea multo saepius quam in tragoedia duorum vel trium histrionum nuntii narratio h. e. graece ἀπαγγελία usurpata esset, necessario fit, ut in tragoediis unius histrionis stasima praecipue ad vestimenta mutanda atque ad speciem rei factae servandam adhibeantur. Ad quam rem illustrandam e tragoediis duorum vel trium histrionum exempla afferre mihi liceat, cum chorica illarum tragoediarum interdum eodem modo atque in tragoedia unius histrionis tempus ad vestimenta mutanda ac speciem rei factae servandam praebere videantur. Ita in tragoedia duorum vel trium histrionum, ubi actio satis simpliciter se habet, fieri potest, ut re vera pari modo atque in tragoedia unius histrionis inter duo episodia ad vestimenta mutanda nulla alia via pateat, quam ut tempus ad id efficiendum stasimum intercedens praebeat. Ita res se habet in Aesch. Agam., ubi inter adventum nuntii v. 489 seq. et adventum Agam. ipsius v. 774 seq., cum actionis simplicitas aliquid inter has duas res intercedere non admittat cumque partes harum duarum personarum ab uno eodemque histrione agantur, stasimum intercedens v. 686—773 necessario eam pausam praebere debet, quae ad vestimenta mutanda hoc loco necessaria est. Similiter in choricis tragoediarum duorum vel trium his-

trionum, quae inter duo episodia tempus aliquod ad speciem rei factae servandam intermittendum praebent, species reperiri possunt, quae sine dubio etiam in tragoediis unius histrionis accidebant. Sic res se habet in illis choricis, quibus efficitur, ut persona sub fine prioris episodii extra scaenam abscedens ad episodium alterum incipiendum — specie rei factae servata — in scaenam reverti possit, veluti in Aesch. Suppl. 524—599; Soph. Ant. 332—375, Oed. R. 863—910; Eur. Med. 947—1001, Andr. 464—492, Herc. Eur. 348—441. Deinde in tragoedia unius histrionis chorica reperiebantur, quibus effici videretur, ut — specie rei factae servata — in loco personae, quae sub fine prioris episodii e scaena abierat, alia persona in altero episodio ea, quae ex abitu eius evenerunt, enarrare posset, ut ex his choricis tragoediarum duorum vel trium hisirionum concludere licet: Aesch. Septem 720—791, Soph. Ant. 1115—1154, Iph. Taur. 1234—1283, Bacch. 977—1023.

Ex antecedentibus clarum factum est, in tragoedia unius histrionis episodium praecipue formam relationis sibi vindicasse, quae sane interdum formam colloquii histrionis cum choro vel rectius coryphaeo[108]), exhibere potuit. Fortasse poetae ab hac narrativa forma episodii discesserunt atque ad illam actuosam se contulerunt in iis tragoediis, in quibus chorus personae primarum partium infensus erat.

Numero histrionum usque ad tres aucto imprimis forma episodii commutata est. Nam nunc, quo modo res aliqua gesta sit, etiam personis ipsis inter se agentibus demonstrare potuit, quatenus personae non extra locum, quem scaena denotat, agentes cogitandi sunt. Ad quam rem illustrandam exempla afferri superfluum erit.

---

108) De coryphaeo a choro segregando vide Wil., Her. I, p. 87.

Deinde numero histrionum usque ad tres aucto etiam ratio, quae inter stasima et episodia intercedit, commutata erat. Nam si ad episodium sequens efficiendum una vel duae novae personae necessariae sunt, ob quam causam tot histriones ex iis, qui episodium antecedens effecerunt, propter vestimenta mutanda extra scaenam se conferre debent, restat tamen unus vel duo histriones, qui etiam per soliloquium aut colloquium (id est actionem histrionalem) eam pausam praebere potuerunt, quae ad vestimenta mutanda personae abeunti necessaria erat[109]. Ita fit, ut stasima pausam ad vestimenta mutanda praebere non amplius necessarium sit. Simili modo ad tempus explendum, quod ad speciem rei factae servandam nonnumquam intermittendum erat, illa stasima pausam praebere ultra non necessarium erat. Nam cum ex histrionibus, qui episodium quoddam effecerunt, tantum unus, ut plerumque res se habet, ob actionem porro propagandam extra scaenam se conferre debeat, illi, qui in scaena permanent vel post

[109]) Ita in Aesch. Suppl. 954 — 979, quibus colloquium inter chorum et regem Pelasgorum efficitur, praebent tempus aliquod, quo histrio, qui v. 953 ut nuntius Aegyptiorum a scaena discesserat, v. 980 ut Danaus in scaenam prodeat. Deinde in Eur. Oreste 630—728, quibus dialogus inter Orestem et Menelaum efficitur, offerunt id tempus, quod necessarium est, ut histrio, qui v. 129 ut Tyndareus a scaena discesserat, v. 729 ut Pylades scaenam introire possit. Atque poetae ad hunc modum vestimentorum mutandorum praesertim in iis episodiis confugisse videntur, in quibus plus quam tres personae deinceps agunt, quod persaepe fit. Tamen non omittendum est, quod interdum fieri potest, ut omnes personae episodii antecedentis ad episodium sequens efficiendum vestimenta extra scaenam mutare debeant. In talibus sine dubio ad vestimenta mutanda nulla alia via est quam ut tempus aliquod per stasimum inter haec episodia detur. Ita res se habet in Phoen., ubi epis. 834—1018 tribus personis, nempe Creonte, Tiresia, Menelao, epis. 1067—1283 autem longe aliis tribus personis, nempe nuntio, Iocasta, Antigona peragitur. Sed talia perraro occurrunt.

etiam introeunt, per actionem vel colloquium praebere potuerunt eam causam, quae post abitum eius necessaria est, donec ipse specie rei factae servata revertatur, aut alia persona, quae enarret ea, quae ex abitu illius evenerunt, in scaenam prodeat[110]. Ita invenimus apud tres tragicos non solum stasima, quae tempus aliquod aut ad speciem rei factae servandam „s", aut ad vestimenta mutanda „v", aut ad utramque rem „sv" praebent, sed etiam stasima, quae cum neutram rem adiuvent, tantum ad episodia disiungenda „d" posita esse videntur. Quae ratio

[110]) Ita in Alcestide 747—860, ubi colloquium inter famulum Admeti et Herculem habemus, praebent tempus, donec Admetus, qui v. 746 una cum choro ad Alcestidem sepeliendam extra scaenam se contulerat, v. 816 ab uxoris sepultura una cum choro revertatur. Deinde pausam ad speciem rei factae servandam tam necessariam, quae inter v. 1017, ubi Menoeceus moriturus scaenam relinquit et v. 1307. ubi Creo mortem filii sui praedicat et lamentatur. intercedere debet, neque stasimum 1018—1066 post Menoeci abitum a choro cantatum, neque stasimum 1384—1306 ante introitum Creontis in scaena cantatum necessario praebent, quoniam inter haec duo stasima unum totum episodium inveniatur 1067—1283, in quo nuntius, Iocasta et Antigona agunt, quodque etiam hanc pausam praebere potuit. Simili modo pausam, quae ad speciem rei factae servandam inter v. 1283, ubi Iocasta et Antigona ad Eteoclem et Polynicem inter se pugnaturos extra scaenam se contulerunt et v. 1335, ubi nuntius ea narrat, quae ex abitu earum evenerunt, statuenda est, etiam colloquium Creontis et chori 1308—1334 offerre potuit pari modo ac stasimum 1284 — 1307, quod inter abitum Iocastae et introitum Creontis intercedit. Hoc modo persaepe pausae ad speciem rei factae servandam necessariae in tragoediis actionem implicatiorem continentibus effici videntur. Atque ubi tragoediae satis simplicem actionem praebent, ibi fieri potest, ut re vera inter duo episodia ad speciem rei factae servandam nulla alia via praesto sit, quam ut tempus per stasimum inter haec episodia intermittatur, veluti in Septem, ubi inter v. 719, quo loco Eteocles in pugnam se confert et v. 791, quo loco nuntius mortem eius enarrat, pausa quaedam actionis histrionalis per stasimum chori interrumpendae nullo pacto effugi potest.

inter haec quattuor genera choricorum intercedat, elucet a tabula sequente[111]:

Satsima	„s“	„v“	„vs“	„d“	Summa
Aesch.	9 (45 %)	4 (20 %)	1 (5 %)	6 (30 %)	20
Soph.	12 (46 %)	2 $7^{2}/_{3}$ %)	8 (31 %)	4 ($15^{1}/_{3}$ %)	26
Eur.	23 (37 %)	13 (21 %)	16 (26 %)	10 (16 %)	62

Itaque quamquam in tragoedia duorum ac trium histrionum stasima ad speciem rei factae servandam ac vestimenta mutanda usurpare non prorsus necessarium erat, tamen inde, quod in tragoedia unius histrionis fere unice ad illas duas res adhibita sunt, satis explicatur, cur in tragoedia duorum ac trium histrionum tam saepe res ita instituta esse videntur, ut stasima quam maxime ad illas duas res composita esse videantur.

Cum igitur ob vestimenta mutanda pariter atque ob speciem rei factae servandam in universum tantum una vel duae personae scaenam relinquere deberent, altero ac tertio actore addito factum est, ut choro stasimum canente scaenam personis vacare non prorsus necessarium esset. Atqe choro stasimum canente scaena ab histrionibus non vacuefacta esse ob duas causas potuit: aut quia aliquis eorum episodio finito ob condicionem, quam initium vel alia pars tragoediae praestat, a scaena non divelli potest (α), aut quia aliquis eorum, quorum actione ultima pars episodii cuiusdam effecta est, statim post stasimum, ergo in episodio sequente, alia persona accedente agere debet (β)[112]. Quo modo haec res apud tres tra-

[111]) In appendice singula stasima his ipsis singis „s“, „v“, „sv“, „d“ instruxi.

[112]) In appendice cancellis rotundis saepsi nomina personarum, quas choro stasimum canente ob causam „α“ in scae-

gicos se habeat, apparet e tabula sequente:

Stasima	In scaena vacua canuntur	In scaena a persona non vacuefacta canuntur:		
		ob causam α	ob causam β	Summa
Aesch.	14 (70%)	5 (25%)	1 (5%)	6 (30%)
Soph.	15 (60%)	3 (12%)	7 (28%)	10 (40%)
Eur.	39 (63%)	14 (24%)	14 (24%)	22 (37%)

Itaque cum apud Aeschylum scaena choro stasima canente propterea, quia ad personam episodii antecedentis in episodio sequente altera persona accedere debet, tantum 5% ostendat, id apud Soph. et Eur. usque ad 24% et 28% auctum est. Quae res sine dubio inde satis explicatur, quod Aeschyli aetas propius ad aetatem tradoediae unius histrionis accedit, quam Sophoclis et Euripidis.

Histrione in scaena permanente dum chorus stasimum ad episodia seiungenda canit, facile fieri potuit, ut stasimi forma pari modo atque parodi forma a μέλος χοροῦ id est cantico a choro solo cantato in commum id est canticum χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς converteretur. Tamen quominus id fieri posset, duae res impedimento fuerunt, una quod per talia commatica actio non progredi potest, sed per accessiones novae personae ad illam in scaena versantem; altera, quae in vi formae tralaticiae posita est. Ita fit, ut exceptis nonnullis locis, quos postea commemorabo, ubique in tragoediis, quae nobis traditae sunt, stasimum formam μέλους χοροῦ id est cantici a choro solo cantati habeat. Quod in parodo res longe aliter se habet, id sane inde luculenter explicatur, quod eius locus multo magis appositus quam stasimi ad formam eius ex μέλος χοροῦ in μέλος χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς commutandam erat, quoniam id canticum ad chorum in tragoediam introdu-

na manere oporteat; angulatis autem circumdedi nomina personarum, quae choro stasimum canente ob causam „β" in scaena manent.

cendum compositum est, quod optime per colloquium inter personam primarum partium et chorum ab ea statum rerum perquirentem efficitur.

Hoc loco statim addendum est, rationem, quae inter singula episodia tragoediae unius histrionis et introitum abitumve histrionis ipsius intercedebat, etiam numero histrionum aucto eandem permansisse. Nam in tragoediis duorum et trium histrionum, quas legimus, pariter atque in tragoediis unius histrionis in universum initium episodii per introitum histrionis saltem unius fit (qui introitus, si chorus canticum ei antecedens in scaena a personis vacuefacta cecinit, accessio ad chorum est; sin autem chorus id canticum in praesentia personae cuiusdam cecinit, accessio ad eam personam est), finis autem episodii per abitum saltem unius histrionis (qui plerumque in episodio primarias partes habebat) denotatur, in scaena ob eas duas causas, quas paulo ante dixi, interdum persona quadam permanente. Inde in nonnulis locis episodia etiam sine stasimo intercedente finita esse statuendum est, si saltem post abitum histrionis primarum partium canticum commaticum vel epirrhematicum chori positum invenimus, quia talia commatica vel epirrhematica sine dubio locum stasimi occupant. Ita Eum. 780 episodium III a v. 569 incipiens finiri videtur, quia hoc loco Orestis personae primarum partium abitus fit. Ergo a v. 781, ubi epirrhematicum inter chorum et Athenam habemus, exodus Eum. 780—1047 incipi statuendum est, simulque id epirrhematicum a v. 781 incipiens locum stasimi, quod hoc loco ad ultimtum episodium ab exodo disiungendum in praesentia histrionum exodum efficientium canendum erat, occupare extra dubitationem est. Deinde Soph. Electrae 824 episodium II a v. 516 incipiens finiri manifestum est, quoniam paulo ante v. 803 Clyt. et paedagogus e scaena discesserunt, v. 804 — 824 autem ab eorum colloquio, quod ad sensum pertinet, pendent. Ergo

illud commaticum v. 825—870 re vera loco stasimi positum est, quod ad vestimenta mutanda in praesentia personae, quam ob statum rerum, quem episodii antecedentis ultima pars exhibet, a scaena non divelli licet, canendum erat, propter eaque a v. 871, ubi Chrysothemis ad Electram accedit, episodium III (v. 871—1057) incipi consentaneum est. Tum commaticum Oed. Col. 510—548, cum v. 510 abitus Ismenae, v. 548 autem introitus Thesei fiat, sine dubio loco stasimi positum est, quod ad vestimenta mutanda in praesentiaque personae, quam ob statum rerum hoc loco a scaena non divelli licet, canere debebat, ideoque v. 510 episodium I a v. 254 incipiens finitum esse, a v. 548 autem episodium II initium capere statuendum est. Deinde commaticum Iph. Taur. 643—656, quia v. 642 Iphig. persona primarum partium e scaena abcessit, locum stasimi occupare videtur, quod ad duo episodia disiungenda in praesentiaque histrionum, qui statim post illud ad episodium sequens efficiendum necessarii erant, cani debebat. Quod cum ita sit, v. 642 episodium II a v. 456 incipiens finitur, v. 657 episodium III incipitur. Postea quoniam Electrae Eur. 858 nuntii, qui adhuc actionem efficiebat, abitus fit, necesse est, ut hoc loco episodium III a v. 747 incipiens finiatur, illudque epirrhematicum v. 859 — 879 loco stasimi, quod ad duo episodia Electra in scaena astante disiungenda canendum erat, compositum sit. Itaque a v. 880, quo loco Orestis et Pyladis accessus ad El. fit, episodium IV incipi per se intellegitur. Denique in Phil. epirrhematicum inter Neopt. et chorum v. 827 — 854 etiam sine abitu antecedente vel accessione histrionum sequente pro stasimo habendum est, quod ad speciem rei factae servandam ob peculiarem statum rerum, quem haec pars tragoediae praebet, in praesentia duorum histrionum canendum erat, quia v. 827 Philoctetes in somnum cadens a scaena non divelli potest, Neoptolemum autem

prope eum stare consentaneum erat [113]). Itaque v. 826 episodium II a v. 730 incipiens finitum esse, v. 854 autem episodium III initium sumere censendum est. Praeterea in eadem Soph. tragoedia commaticum v. 1080—1217 inter Philoctetem et chorum institutum loco stasimi, quod ad speciem rei factae servandam in praesentiaque Philoctetis, qui, cum animo aeger sit, e scaena non extemplo abscedere potuerit, canendum erat, positum esse videtur, quia v. 1079 Ulixis et Neoptolemi Philoctetem in scaena relinquentium abitus fit. Ergo v. 1079 episodium III a v. 854 incipiens finiri, a v. 1218, ubi introitus Neopt. et Ulixis fit, exodum huius traqoediae incipi statuendum est [114]).

Itaque praeter 108 stasima, quae formam *μέλους χοροῦ* habent, in tragoediis, quas habemus, ad episodia disiungenda posita sunt etiam 4 commatica id est *μέλη χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς* et 3 epirrhematica id est *μέλη χοροῦ*, inter quorum strophas et antistrophas histrionum interlocutio intercedit. Quae ratio inter numerum stasimorum et canticorum loco stasimi positorum intercedat, illustratur hac tabula :

Poetae	Stasima	Cantica loco stasimi posita	Summa
Aesch.	20 (95 1/3 %)	1 epirrh. (4 2/3 %)	21
Soph.	26 (86 2/3 %)	1 „ + 3 comm. (13 1/3 %)	30
Eur.	62 (97 %)	1 „ + 1 „ (3 %)	64

113) Similiter res se habet in Senecae Herc (fur) 1055—1137. Id choricum tempus explere videtur, donec Hercules sub fine prioris actus in somnum delapsus ad actum alterum incipiendum e somno expergiscatur.

114) Quoniam omnium commaticorum, quae loco stasimorum posita sunt, ea communis condicio est, ut persona, cuius praesentia μέλος χοροῦ in μέλος χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς convertitur, in episodio antecedente aeque atque in episodio sequente sine intermissione in scaena permaneat, notanda est exceptio unica ex hac regula, quam comm. Philoctet. 1080—1217 pra-

Inde evincitur, Sophoclem quam maxime studuisse, ut formam stasimi a μέλος χοροῦ in μέλος χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς converteret Quae sententia eo magis fulcitur, quod illa quattuor cantica loco stasimi posita in iis Sophocleis tragoediis inveniuntur, in quibus parodus commatice conformata est. Ergo quod hoc loco de Sophocle dixi, id tantum ad tragoedias eius posterioris aetatis respicit. Tamen in universum, ut ex tabula satis clarum est, commatica et epirrhematica loco stasimi a poetis tam raro (ita ab Euripide 3%!) usurpata esse videntur, ut optimo iure ab Aristotele, qui in sua partitione tragoediarum, ut sub fine C. I huius diss. dixi, universam rationem tragoediarum dividendarum spectabat, ea in C. 12 A. P. neglegerentur.

Stasimis atque commaticis et epirrhematicis, quae loco stasimi posita sunt, iam definitis ac perlustratis non inutile erit, si videamus, quot episodia ex illa regula, qua initium eorum per introitum, finis autem per abitum histrionis saltem unius denotari debet, excipienda sunt.

Atque primo loco enumerabo ea episodia, quorum neque initium per introitum neque finis per abitum saltem unius histrionis denotatum est. Ita res se habet in his episodiis: Aesch. Prom. 452—541, epis. II, in quo toto abitus et introitus histrionis omnino non fit; Soph. Trach. 141—204, epis. I, in quo saltem v. 179 accessio nuntii ad Deianiram fit; Eur. Hel. 252—514, epis. I, in quo saltem v. 376 Menelaus in scaenam prodit, v. 482 autem tantum anus e scaena abit.

Altero loco enumeranda sunt episodia, quorum initium sane introitum histrionis non continet, tamen finis per abitum denotatus est. Ipsa episodia sunt haec: Aesch. Prom. 209—412, epis. I, quia introitus Oceani in medio

---

ebet, quia v. 1027 Philoctetes, cuius praesentiae forma commatica h l. debetur, a scaena ad tempus aliquod abscesserat, donec a Neoptolemo v. 1261 introvocatus scaenam rursus introiret.

episodio v. 284 fit; Suppl. 618—783, epis. III, quia Danaus iam a v. 600 usque ad v. 783 sine intermissione in scaena versatur; Soph. Aiacis 646—692, epis. II, quia Aiax v. 596 e scaena non abiit; Oed. R. 216—462, epis. II, quia Tiresias demum v. 316 in scaenam prodit; El. (Soph.) 215—471, epis. I, quia primus introitus in hoc episodio id est Chrysothemidos v. 328 fit; Phil. 855—1080, epis. III, quoniam primum v. 975 Ulixes scaenam introit; Oed Col. 254—509, quia primus introitus hoc est Ismenae v. 324 fit; Eur. Hipp. 565—731, epis. II, quia v. 601 Hipp. ad Phaedram in scaena versantem accedit; Jphig. Taur. 658—1088, epis. III, quia v. 725 demum Jphigeniae accessus ad Orestem et Pyladem fit; Or. 208—315, epis. I, quoniam Electra et Orestes ab ipso principio huius tragoediae in scaena versantur; Hipp. 776—1101, epis. III, quia a vocibus famulae post scaenam editis, non ab introitu ipsius eius incipitur[115]).

Tertio loco afferenda sunt episodia, quorum finis solum non per abitum histrionis denotatur, cum initium eorum per introitum saltem unius histrionis fiat. Talia episodia sunt haec: Aesch. Pers. 901—635, epis. II, quia Atossa sacrificans episodio finito e scaena non abit; Suppl. 608—637, epis. II, quia Danaus chorum gratias Jovi agere iubens prope eum permanet; Eum. 179—321, epis. I, quo finito Orestes Athenam exspectans e solo eius sacro non egredi potest; Soph. Phil. 730—826, epis. II, quia Phil. sub fine huius epis. in somnum cadens e scaena non abit

---

[116]) Praeterea quispiam nimis diligens de Agam. epis. I, 270—378, cum Clyt. a v. 38 in scaena versetur; deinde de Choeph. ep. I, 83 — 582, cum Electra iam v. 22 scaenam prodeat; postea de Heracl. ep. I. 111 — 352, cum Demophon non ipso v. 111, sed paulo post v. 120 scaenam introeat; denique de El. (Eur.) ep. II, 747—858, quia nuntius non in ipso initio v. 747, sed paulo post v. 761 in scaena agit, initium eorum non per introitum histrionis denotatum esse affirm verit.

neque Neoptolemus eum dormientem relinquere potest; Eur. Med. 663—823, epis. III, quia Aegeus v. 763 abiens Media porro in scaena loquens permanet; Troad. 230—510, epis. I, quia Hecuba post abitum Cass. et Talth. v. 462 in scaena loqui pergit neque choro v. 511 canente scaenam relinquit; Alc. 606—961, epis. III, quoniam v. 860 abitus Herculis fit, post quem Admetus scaenam introiens eam choro v. 962 stasimum canente non reliquit; Med. 214—409, epis. I, quia Medea post abitum Creontis v. 356 agere pergens scaenam v. 409 non relinquit[116]).

Quae ratio inter has exceptiones et cetera episodia intercedat, apparet e tabula sequente:

Episodia	Initium per introitum, finis autem per abitum histr. denotatur:	Neque initium per introitum neque finis per abitum designatur:	Tantum initium non per introitum indicatur;	Tantum finis non per abitum histr. denotatum est:	Summa
Aesch.	15 (71%)	1 (5%)	2 (10%)	3 (11%)	21
Soph.	23 (77%)	1 (3%)	5 (17%)	1 (3%)	30
Eur.	55 (86%)	1 (2%)	4 (6%)	4 (6%)	64

Itaque verum est, in universum episodiorum initium per introitum, finem autem per abitum saltem unius histrionisa denotatum esse.

Praeter eum introitum, unde episodium incipitur et cum abitum histrionis, quo episodium concluditur, numero actorum ad tres aucto etiam alii introitus et abitus in medio episoio fieri potuerunt, quibus episodia in singulas scaenas divellantur[117]). Quae ratio inter episodia et nu-

---

116) Epis. III Oed. R. 911—1085, cum sub ipso fine v. 1037 abitus h. e. Ismenae fit, et epis. II El. Soph., 516 — 822, quia ante ipsum finem v. 803 abscessus paedagogi et Clyt. fit, non ad ea rettuli, quorum finis non per abitum histrionis cuiusdam designatus est.

117) Numerus scaenarum, e quibus episodia constant, inter unam et quattuor fluctuat. Singulas scaenas in appendice in-

merum scaenarum intersit, docet haec tabula:

Episodia	Ex singulis scaenis constantia	Ex pluribus scaenis constantia.				Summa
		Ex binis	Ex ternis	Ex plus quam ternis	Summa	
Aesch.	12 (57%)	6 (28%)	2 (10%)	1 (5%)	9 (43%)	21
Soph.	7 (20%)	14 (50%)	6 (20%)	3 (10%)	23 (80%)	30
Eur.	21 (33%)	20 (31%)	14 (22%)	9 (14%)	43 (67%)	64

Itaque quo magis tragoediae ab eo tempore, quo poetae uno histrione utebantur, distant, eo magis numerus episodiorum ex una scaena constantium imminuitur, numerus autem episodiorum ex duabus et tribus scaenis constantium augescit.

Quod ad rationem, qua singulae scaenae in episodiis inter se iunguntur, pertinet, in iis continua actio personarum observatur. Ex qua regula excipienda sunt ante omnia Choeph. 649—778, epis. II, ubi v. 715—725 coryphaei interruptionem actionis continuae personarum denotant; Choeph. 837—933, epis. III, ubi v. 854—867 a coryphaeo in scaena a personis vacuefacta dicti actionem continuam personarum interrumpunt. In quibus duobus locis poeta propterea stasimum collocare non potuit, quia tum plus quam quattuor chorica ad fabulam dividendam adhibere debebat, quem numerum, ut postea explanabo, strenue in suis tragoediis dividendis secutus est.

Huc accedunt ea episodia, in quibus chorus propter causam quandam ad tempus aliquod scaenam reliquit, in quibusque epiparodum chori habemus. Sic res se habet in Eum. epis. I, 178—321 (v. 324); Aiac. epis. III, 719—

---

venies neque necessarium est, singula quaeque hoc loco enumerare. Tamen non prorsus superfluum erit, si enumerem hoc loco ea episodia, quae plures quam quattuor scaenas habent. Talia episodia sunt haec tria: Hel. ep. II, 528—1106, quod e quinque scaenis constat; Or. ep. III, 844 — 1352 et Alc. ep. IV, 606—961, quorum utrumque septem scaenas praebet.

1184 (v. 814); Alc. epis. IV, 606—961 (v.747), in quibus episodiis choro e scaena egresso continua actio personarum interrumpitur.

Praeterea continua actio personarum non observatur in iis episodiis, in quibus personis absentibus per voces post scaenam editas scaena aliqua efficitur, in qua chorus ad tempus aliquod partes histrionis suscipere videtur. Ita res se habet in Hipp. 837—933, epis III, ubi prima scaena episodii per voces famulae post scaenam editas instruitur; Herc. Eur. 814—908, epis. IV, in quo scaena v. 874—908 per voces Amphitryonis post scaenam editas et chorum agentem efficitur. Confer praeterea Choeph. 837—933, epis. III, ubi Aegisthi planctus post scaenam editi unam scaenam efficiunt, quae ex continua actione personarum huius episodii egreditur[118]).

Ut omnia, quae ad scaenicam conformationem episodii et stasimi pertinet, absolvamus. dicendum est ad supremum aliquid de externa forma stasimornm et canticorum chori, quae loco eorum posita sunt.

Apud Aeschylum et Sophoclem omnia stasima et cantica eorum loco posita alternis canuntur praeter illud stasimum, ut e sententia Aristotelica appellandum est, Aiacis 866—878, re vera epiparodum, quod non strophice compositum est. Contra Euripides praeter strophice composita stasima etiam non strophice composita, quam-

---

[118]) Praeterea fortasse quispiam in Aiac. epis IV, 878—1184 continuam actionem personarum interruptam esse affirmaverit, quoniam Tecmessa a v. 974 nihil dicat. Tamen non hoc ipso versu. quo Teucrus in scaenam prodit, ipsa ab ea discessisse videtur, sed v 897, quo loco, ut mihi videtur, histrio, qui adhuc partes huius feminae agebat, scaenam reliquit, ut extra scaenam vestimenta ei personae praeberet, quae v. 1167 prodiens partes eiusdem feminae, ut κωφὸν πρόσωπον, agere pergit. Ita per praesentiam Tecmessae v. 974—987 quamquam nihil loquentis continuam actionem personarum in hoc episodio conservatur.

quam haud saepe, usurpasse videtur. Jta apud eum haec quinque stasima inveniuntur, quae non strophis composita sunt: Hipp. 1268—1281, Hec. 1024—1034, Herc. 1016—1027, Jon 1229—1249, quibus omnibus choricis, quod notabile est, episodium ultimum ab exodo diiungitur; Hel. 512—527, quod re vera epiparodus est, qua episodium primum ab altero divellitur. Praeterea commaticum Jph. Taur. 643 - 657 loco stasimi positum non strophis compositum est Quod haec stasima vel cantica loco eorum posita non strophis composita sunt, id ex brevitate eorum satis explicatur.

Restat, ut de mutationibus, quas conformatio scaenica ultimae partis tragoediae inde a primordiis tragoediarum usque ad Euripidem passa est, aliquid dicam

Ut ex ultima parte C. I h. diss. compertum habemus, exodus in tragoedia vetustissima illud choricum hoc est μέλος χοροῦ signifacabat, quo tragoedia ipsa ad finem perduci solebat. Quapropter quaerendum est, quo modo factum sit, ut aetate posteriore tragoedia non per illud choricum, sed per partem recitatoris finiatur. In qua quaestione solvenda vix in hoc acquiescere possumus, ut statuamus, decursu temporis illud μέλος χοροῦ, quod eadem amplitudine atque parodus fuit, in illa syst. anapaestica, quae dux chori sub fine ultimae partis actionis histrionalis dicere solebat, contracta esse, quoniam in tragoediis traditis gradus, quibus ab illo satis prolixo chorico ad haec nonnulla syst. anapaestica transeatur, non observantur. Inde vero statuendum est, tragoediam tum illo chorico concludi licere atque debere, si ipsa initium a simili μέλος χοροῦ ceperit. Sic enim distributio chori partium consona atque congruens effici videtur. Quod si recte se habet, necesse est, ut Suppl. Aesch. nobis tragoediae antiquissimae formam praebeant[119]). Contra cum primo

[119]) Cf. adn. 69.— Cum e partitione Aristotelica exodus

chorico vel parodo, unde tragoedia initium capiebat, pars recitatoris praemissa esset, nimirum factum est, ut propter distributionem consonam atque congruentem restituendam etiam finis tragoediae per recitatoris partem adduceretur. Quapropter ad chori e scaena abitum etiam nonnulla syst. anap. ab eius duce dicta sufficere necessarium erat. Quam permutationem non uno ictu, sed paulatim atque gradatim factam esse per se intellegitur. Ob eam rem eo tempore, quo prologus nimis novus fuit, etiam tragoedias, quae ab eo initium ducebant, per unum μέλος χόροῦ finiri potuisse, ut invicem, hoc est, tragoedias, quae initium a μέλος χοροῦ sumebant, pari modo ac tragoedias, quae prologum habebant, per recitationem, veluti Aesch. Pers., concludi potuisse verisimile est. Atque si haec ita sunt, illa inventio Phrynichi, dico prologum, qua initium tragoediae commutatum est, tanti momenti fuisse videtur, ut inde etiam transformatio ultimae partis tragoediae efficeretur. Ita in universum mea quidem sententia factum est, ut exodus non amplius ultimum choricum significaret, sed ultimum episodium, quam rem etiam Aristoteles sua definitione exodi probavit.

Cum igitur exodus Aristotelica nihil aliud sit nisi ultimum episodium tragoediarum, ea, quae de episodii forma primaria eiusque mutationibus inde a primordiis tragoediarum usque ad Euripidem dixi, etiam de exodo valere per se intellegitur. Jtaque exodus pari modo atque episodium eo tempore, quo poetae tantum unum histrionem habebant, fere semper ab accessione ipsius histrionis ad chorum, postquam ille ultimum stasimum in scaena a personis vacuefacta cecinerat, initium capere solebat, unde

re vera ultimum episodium sit, non veritus sum, quin in appendice, ubi tragoedias Aristotele duce in singulas scaenicas partes divisi, ad exodum huius tragoediae non solum χορικόν, quo haec tragoedia concluditur, sed etiam ultimam partem actionis histrionalem referrem.

colloquium histrionis cum choro vel sermo eius chori astantis gratia oriebatur. Quo colloquio vel sermone ad finem perducto histrio una cum choro μέλος canente e scaena egredi potuit. Itaque exodus vetustissima tantum ex una scaena pariter atque cetera episodia tragoediae unius histrionis constare solebat.

Addito altero atque tertio actore ex iis causis, quas dixi, cum de ceteris scaenicis partibus locutus sum, fieri potuit, ut in ultimo stasimo, quod exodum ipsam antecedit, una persona permaneret, ob quam rem exodus etiam sine accessione novae personae ad chorum vel ad eam incipi potuit. Tamen more tralaticio et necessitate accessionis novae personae ad progressum actionis propagandum effectum esse videtur, ut exodi initium in tragoediis duorum et trium actorum plerumque per introitum saltem unius histrionis denotaretur. Ita apud Aeschylum ex 7 exodis tantum duae (30%) non ab introitu novae personae incipiunt: Prom. 939—1127, quia v. 973 Mercurius scaenam introit, et Eum. 797—1047, in qua tota exodo nulla accessio novae personae fit. Deinde apud Sophoclem omnium tragoediarum exodi ab introitu novae personae incipiunt. Apud Euripidem denique tantum in duabus tragoediis (12%), Medea (1271—1419) et Hec. (1035—1295), exodi initium non per introitum histrionis denotatum invenies, quia e vocibus post scaenam editis incipiuntur.

Altero ac tertio histrione addito etiam fit, ut praeter introitum histrionis, a quo initium exodus sumit, et abitum, quo tragoedia concluditur, etiam alios introitus et abitus histrionum habeamus, quibus exodi in singulas scaenas dividantur [120]). Quae ratio inter exodos et

---

[120]) Singulas exodorum scaenas inter se distinctas in appendice invenies. Ipse numerus scaenarum in exodis inter unam et quattuor scaenas fluctuare videtur. Ultra hunc numerum

numerum scaenarum intersit, apparet ex tabulla apposita:

Exodi	Ex una scaena constantes	Ex pluribus scaenis constantes	Summa
Aesch.	4 (57%)	3 (43%)	7
Soph.	1 (14%)	6 (86%)	7
Eur.	2 (12½%)	14 (87½%)	16

Itaque quo magis tragoediae distant ab eo tempore, quo poetae unum histrionem usurpabant, eo saepius eorum exodi plus quam unam scaenam ostendunt.

Quod ad rationem pertinet, qua singulae scaenae in exodum se comprehendunt, in iis pariter atque in prologi scaenis interruptio actionis continuae personarum admittitur. Nam praeter exodos Medeae 1257 — 1419, Hec 1035—1295, Agam. 1019—1637, in quibus propterea continua actio personarum non observatur, quia in iis pariter atque in episodiis singulae scaenae per voces post scaenam editas efficiuntur, habemus etiam exodos, in quibus interruptio actionis continuae personarum inde non excusari potest. Hae exodi sunt: Aesch Suppl. 832 —1080 (cf. v. 990), Soph. Antig 1155—1353 (cf. 1257), Oed. R. 1223—1530 (cf. v. 1036), Oed. in Col. 1579 —1779 (cf. v. 1670), Eur. Suppl. 980—1234 (cf. v. 1113), Phoen. 1307 — 1766 (cf. v. 1480, nisi etiam post hunc versum Creo tacens in scaena permanere pergit), Bacch. 977—1027 (cf. v. 1164).

Inde, quod interruptio actionis continuae personarum in prologo et exodo toleratur, cum in episodiis saltem apud Soph. et Eur. non admittatur, concludentum est, stasima apud poetas Graecos inde ab Aeschylo praecipue

---

scaenarum progressae sunt tantum hae exodi: Ag. 1019—1673, Ion 1250—1624, Phoen 1307—1766, Bacch. 1024 — 1392, quae cunctae e quinque scaenis constant. Huc accedit Suppl. Eur. exodus 980—1234, quae 6 scaenas habet.

in iis partibus tragoediarum. in quibus actio fabulae quam maxime procedit, hoc est in quibus actio neque exponitur (rectius proponitur) neque solvitur, ad interruptionem continuae actionis personarum denotandam adhibita esse.— Quod ipsa stasima tragoediarum duorum et trium histrionum, quas manu tenemus, persaepe ad vestimenta mutanda et temporis cursum denotandum composita esse videntur, id satis bene e duabus causis explicatur, una quod in tragoedia unius histrionis, ut iam explanatum est, ad eas duas res praecipue adhibebantur, alterum quod stasima actionem histrionalem, qua actio fabulae evolvitur, ad tempus aliquod interrumpentia ad vestimenta histrionum extra scaenam mutanda et cursum temporis designandum perapta erant. Ceterum veteres in tragoediis agendis ad speciem rei factae servandam denotationem cursus temporis magni aestimavisse vel ex Arist. A. P. C. 5 (1449 b 9—17), C 7 (1451 a 6—15) satis apparet. Atque cum ipsos poetas, priusquam ad fabulas scribendas se conferrent, argumenta ipsa e vero successu rerum singularum in singula episodia divisisse satis verisimile sit, non mirandum est, quod stasima inter ea intercedentia persaepe ad cursum temporis denotandum composita esse videntur. Cf. Arist. A. P. C. 17 (1454 a 34—1455 b 15).

Conformatione scaenica singularum partium tragoediarum perspecta videamus, an poetae certum numerum partium scaenicarum in singulis tragoediis secuti sint necne. In qua re absolvenda singillatim de poetis tragicis agendum est Numeros autem versuum, quibus singulae partes tragoediarum definitae sunt, invenies in appendice huic opusculo addita.

Incipiendum est ergo ab Aeschylo, cuius tragoediae in duo genera dividuntur: unum, cuius generis tragoediae prologo carent, alterum, cuius generis tragoediae prologum habent. Tragoediae, quae prologo carent, (Pers. et Suppl.)

praebent has 8 partes: 1 parodum, 3 episodia, 3 stasima, 1 exodum. Tragoediae autem, quae prologo praeditae sunt, (Prom., Septem, Agam., Choeph., Eum.) ostendunt eundem numerum partium eo auctum, quod prologus accedit, novem igitur partes, quae sunt hae: 1 prologus, 1 parodus, 3 episodia, 3 stasima, 1 exodus. Itaque Aeschylus in suis tragoediis certum numerum partium secutus est, cum suas tragoedias semper per 4 chorica (1 parodum et 3 stasima) dividere soleret [121]). Quae divisio cum pariter in tragoediis Aeschyleis vetustissimis atque in recentissimis ostendatur, non a veritate absonum erit, si statuimus illum (id est Aeschylum) eam a poetis prioribus, fortasse ab ipso Phrynicho, recepisse [122]).

Nunc convertamus nos ad Sophoclem. Hunc poetam certum numerum partium non secutum esse inde apparet, quod eius tragoediae modo 9 partes: 1 prologum, 1 parodum, 3 episodia, 3 stasima, 1 exodum (sic Philoct); modo 11 partes: 1 prologum, 1 parodum, 4 episodia, 4 stasima, 1 exodum (sic Aiax, Oed. R., El.); modo 13 partes: 1 prologum, 1 parodum, 5 episodia, 5 stasima, 1 exodum (sic Ant., Trach., Oed. Col.) praebent. Itaque poeta, prout argumenti amplitudo postulabat, modo 5 chorica (1 parodum et 4 stasima), modo 6 chorica (1 parodum et 5 stasima) ad tragoedias suas dividendas adhibere solebat.

Tertio loco videndum est, an Euripides secutus sit certum numerum partium necne. Atque eum secutum esse certum numerum partium scaenicarum statuendum est, quia eius tragoediae semper has 11 partes ostendunt: 1

---

[121]) Id iam Westph. p. 10 (Proleg. zu Aesch. Trag.) recte statuit.

[122]) Wilam., Herc. I, p. 89[1]: „Dagegen muss sich schon früh die Vierzahl für den Kostümwechsel des Chors festgesetzt haben". Inde etiam apparet, id virum doctissimum effugisse, quod ad quattuor chorica adhibenda etiam species rei factae efficienda non parvi momenti erat.

prologum, 1 parodum, 4 episodia, 4 stasima, 1 exodum. Itaque Euripides suas tragoedias per 5 chorica, quorum 1 parodus, 4 stasima sunt, dividere solebat[123]). E qua regula tamen 2 tragoediae excipiendae sunt: Medea, quae 13 partes (1 prol., 1 parodum, 5 epis., 5 stas., 1 exodum) habens per 6 chorica manifesto dividitur [124]), et Troades, quae ex 9 partibus (1 prol., 1 parodo, 3 epis., 3 stas., 1 exodo) constans per quattuor chorica dividitur [125]).

Quaerendum est igitur, cur Sophocles et Euripides, ut iam apparuit, vias tralaticias per 4 chorica tragoediarum dividendarum reliquerint atque ad 5 et 6 se contulerint. Quae causa mea quidem sententia in eo ponenda est, quod re dramatica iam per Aeschylum aucta iis ad argumentum tragoediarum in singulas partes dividendum ac proponendum illa 4 chorica non satis fuissent, nisi in ipsis episodiis pariter atque Aesch. in Choeph. interruptionem actionis continuae personarum admisissent Tamen cum hanc interruptionem, ut vidimus strenue effugere soliti essent, ad illum tralaticium numerum quattuor choricorum unum vel duo chorica addere coacti erant.

---

[123]) Ob doctrinam suam canticorum alternantium e numero stasimorum excludendorum longe aliter de hac re Arnoldtius l. l., p. 34—45 censuit.

[124]) In Medea poeta postquam argumentum per 1 parodum et 4 stasima in 1 prologum, 4 episodia et 1 exodum divisit, novum quintum episodium (id est aut epis. 446 - 626, in quo Iason frustra Medeae subsidium obtulit, aut epis. 663 —823, in quo Medea ab Aegeo impetravit, ut ei perfugium promitteret) addidisse videtur, quo factum est ut etiam quintum stasimum adderetur

[125]) Etiam in Troad. 5 chorica habere possumus, si statuimus (atque ita statuendum est) illam parodum, quam dicimus, v. 153—234, ex duabus partibus constare v. 153—196, quibus parodus adducitur, v 197—234, quibus stasimum primum efficitur Quod inter parodum et primum stasimum nulla pars recitatoris, qua primum episodium effici debebat, intercedit, id optime e tenuitate argumenti ipsius tragoediae explicandum est

Inde, quod Aeschyli et Euripidis tragodiae e divisione Aristotelica semper unum eundemque numerum partium praebent, apparet, poetas re vera in animo similem distributionem atque Aristotelem habuisse. Atque huius divisionis indicium hoc est, quod chori et histrionum partes inter se alternant, cum in tragoedia antiquissima choro praevalente a choro incipiatur atque per eum finiatur, in tragoediae autem posterioris aetatis histrionibus praevalentibus ab histrionum parte incipiatur atque per talem finiatur [126]. Quod tragoediarum traditarum partes, in quibus chorus agit, et partes, in quibus histriones agunt, non eadem amplitudine sunt, id non mirandum est, quia re dramatica aucta eas partes, id est histrionum, per quas argumentum tragoediae evolvitur, augere, contra partes chori, per quas argumentum non evolvitur, imminuere necessarium erat. Ad quam sententiam confirmandam non parvi momenti est, quod apud Aeschylum chorica satis prolixa, apud Sophoclem non tam prolixa, apud Euripidem denique interdum tam brevia, ut ne compositionem strophicam ferre possint, habemus.

Quod poetae partes recitatoris cum partibus chori non eo consilio alternari voluerunt, ut per chorica actionem histrionalem interrumpentia eam ipsam in singulas partes dividerent, id optime tractatio parodi commaticae docet. Nam parodus commatica longe aliter atque parodus a solo choro cantata, vix sine damno partium circumstantium actionis histrionalis exsecari potest, quia plerumque et ab antecedente prologi ultima scaena et a prima parte episodii sequentis pendet. Ita parodus commatica Prom. 128—192 ab antecedentibus v. 114—127 nullo modo divelli potest neque ab ea initium episodii primi v. 193—283 separare licet Deinde parodus comm. Soph. El. 121—

---

[126] Non prorsus ita Schmidtius p. 8 (de par. not.) de hac re iudicavit.

250 a monodia El. antecedente v. 86—120 pendet neque ab illa v. 251—223, quibus initium episodii primi efficitur, diiungi possunt Tum parodus comm. Medeae 131—212 ex antecedentibus v. 96—130 explicatur simulque ab ea emanat initium episodii primi v. 214—266. Similiter parodus comm. Heracl. 73—110 ab antecedentibus v. 55—72 profluit neque initium episodii primi v. 111—118 ab ea secernitur. Postea parodus comm. Hecubae 59—166 a monodia Hecubae antecedente v. 59—97 initium sumit neque pars prior episodii primi v. 177—214 ab illa separatur. Eodem modo parodus comm. Troadum Eur. 153—196 a monodia Hecubae antecedente v. 98—152 pendet, ad quam v. 197—229 a solo choro cantati accedentes actionem histrionalem interrumpunt, ita ut episodium primum a v. 230 incipiens cum ipsa parodo non cohaereat. Porro parodus comm. Hel. 179—251 cum e monodia Helenae antecedente v. 164—178, ut ratio strophica docet, delabatur, tum priore parte episodii primi v. 252—385 ipsa propagatur. Accedit parodus commatica Orestis 140—208, quae a verbis antecedentibus Electrae v. 132—139 nullo modo divelli potest, a v. 208 seq., quibus primum episodium efficitur, tamen segregari potest. Denique in Oed. Col. parodus comm. 117—254 ab antecedentibus v. 111—116 non seiungitur (praeterea cf. v. 36 seq.), sequentibus autem v. 255—309, quibus prior pars episodii primi efficitur, ipsa producitur. Contra Iphig. Taur. par. comm. 123—235, quamquam a statim antecedetibus v. 66—122 atque a statim sequentibus v. 236—391, quibus episodium primum adducitur, divelli potest, tamen a v. 61—66 pendet Etiam par. comm. El. Eur. 167—212, quamquam a monodia antecedente v. 112—166 separatur, tamen cum initio episodii primi a v. 213 incipientis aliquo modo cohaeret Ergo tantum in Phil. parodus comm. 135—218 sine damno ullo partium actionis histrionalis circumstantium exsecari potest Itaque parodus commatica

in universum, quod ad sensum pertinet, a prologi ultima parte et ab episodii primi parte priore non divellitur. Huc accedit, quod in prologi ultima parte, in parodo commatica et in episodii sequentis priore parte semper una eademque persona agit. Ita fit, ut parodus commatica prologum et episodium primum (exceptis Troadibus Eur.) in unam partem actionis histrionalis comprehendat, quae ab altera parte actionis histrionalis disiungitur per primum stasimum, quod, ut choricum tantum a choro cantatum, actionem histrionalem interrumpit.

Quod autem ad cetera commatica, quae loco stasimi posita sunt, pertinet, res longe aliter se habet. Nam commaticum vel epirrhematicum loco stasimi positum per personam post abitum ceterarum in scaena permanentem et chorum astantem efficitur longe aliter atque parodus commatica, ubi chorus ipse quasi alter histrio ad personam in scaena versantem se convertit atque ex ea statum rerum, quem tragoedia ponit, comperit,[127]) unde nova scaena huius primae partis actionis histrionalis initium capit. Huc accedit, quod commatica vel epirrhematica loco stasimi posita sine damno partium actionis histrionalis circumstantium exsecantur.

Ita efficitur, ut tantum parodi a choro solo cantatae, stasima et cantica chori loco stasimi posita re vera actionem histrionalem, qua unice argumentum fabulae evolvitur, interrumpant atque imprimis ad partes actionis histrionalis dividendas valere videantur. Atque cum in vetustissimis Aeschyli tragoediis Pers. et Suphl. chori munus non tantum ad partes actionis histrionalis, qua argumentum evolvitur, seiungendas spectare videatur, necesse est, ut statuamus, tantum decursu temprois id factum esse, ut chori praecipuum munus in partibus actionis histrionalis seiungendis coerceatur. Ipsa chorica, unde id concludere licet, sunt haec: Pers. prima duo chorica v. 1—

[127]) Cf. adn. 104.

64, 65—150, quibus pariter atque prima duo chorica Suppl. 1—40, 41—175 expositio harum tragoediarum efficitur; deinde in Pers. illud stasimum 633—680 pariter atque in Suppl. 625—709, quibus actio histrionalis propagatur, quaeque re vera alterum ac tertium episodium in unam partem actionis histrionalis compehendunt; denique Suppl. 827—1075, quo actio solvitur. Ad eandem sententiam nos adducit etiam id, quod Aeschylus non veritus est in recentioribus quoque tragoediis, nempein parodo Septem et Agam., duo chorica uno loco cumulare, quod poetae posterioris aetatis Sophocles et Euripides omnino effugerunt, quia ad partes actionis histrionalis seiungendas unum choricum sufficiebat.

Tota haec commutatio sine dubio a Phrynicho, inventore prologi, profecta esse videtur. Nam si tragoedia a toto chorico incipitur, necesse est, ut id primum expositionem tragoediae contineat, ergo ad ipsum cursum tragoediae spectet; contra si huic toto chorico pars actionis histrionalis id est prologus praemittitur, fit necessitate quadam, ut id choricum magis ad duas partes actionis histrionalis disiungendas positum esse videatur, quam ad fabulam exponendam. Atque tragoediae Aeschyleae prologo carentes praebent, ut vidimus, in media fabula chorica, quibus actio histrionalis propagatur; contra tragoediae Aeschyleae prologo instructae talia chorica non habent. Cum hac tota commutatione cohaeret etiam id, quod chorica, quibus episodia seiunguntur, quo magis tragoediae a vetustissima aetate distant, eo magis ab argumento episodiorum circumstantium divelluntur, eoque facilius sine ullo damno actionis progredientis exsecari possunt. Atque iam aequalis Euripidis Agathon, ut e C. 18 extr. apparet, choricis ἐμβολίμοις usus est[128]. Inde facile ex-

---

[128]) Wilam. Herc. vol. I, p. 89¹: „Ob diese (sc. quattuor partes tragoed. Aesch.) für sich ein jedes oder alle zusammen erst eine Einheit im dichterischen Sinne bilden, hängt lediglich

plicatur, cur in doctrina actuum chorica tantum ad partes actionis fabulae seiungenda ut *ἐμβόλιμα* valeant. Quod ita res se habet in doctrina actuum. id apparet imprimis ex argum. Andr., ubi haec leguntur: *ἐν τῷ δευτέρῳ μέρει ῥῆσις Ἑρμιόνης* (v. 147—180) *τὸ βασιλικὸν ἐμφαίνουσα καὶ ὁ πρὸς Ἀνδρομάχην λόγος καλῶς ἔχων* (v. 234 seq.), quibus primum episodium ut actus alter denotatur, quia a prologo per choricum a choro solo cantatum diiungitur[129]). Idem elici potest ex verbis, quae

---

v n dem Können und Wollen der Dichter. Nachweislich ist beides neben einander geübt worden, doch so, dass schon bei ihm die Tendenz mächtig war, die einzelnen Chöre oder Stücke immer selbständiger zu gestalten, was später feststehende Regel ist, auch wenn zwischen ihnen ein Bezug waltet". Tamen parodus et ultimum stasimum semper artius cum argumento ipsius fabulae cohaesisse videtur. Ceterum d leo, quod mihi non contigit ut librum Alfr. Zarnecke „de choro Soph. et Aesch quaest. cap tria" (diss Vratisl. 1885) perlegerem, qui ut e Bursi ni rel. vol. 46, p. 210 seq., apparet, de ratione, quae inter chorum Aesch. et Soph. atque argumentum intercedit, aliquid disputavit.

[129]) Inde, quod parodus in Andr. ut choricum a solo choro cantatum, e partibus huius tragoediae excluditur, fit, ut apud Aristophanem Grammaticum vox μέρος non ut apud Aristotelem τῆς τραγῳδίας, sed τῆς πράξεως sit: id, quod latine „actus" dicitur. „Actus" enim significat imprimis actionem De qua re Leo p. 207 adn. 2 haec scripsit: „Der Terminus ist von πρᾶξις nicht zu trennen; s o Mar. XI, 1 ἡ ὅλη πρᾶξις—ἐπὶ παντός μέρους et quae seq" Atque Aristoteles ipse tragoediam C. 6 A. P. ita definivit: ἔστι τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας μέγεθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ λόγῳ χωρὶς ἑκάστῳ τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις, δρώντων καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας etc. E qua definitione quoniam Aristoteles id vix effugere potuit, quod in tragoediis non raro sive personae προλογίζοντες sive nuntii aliquid enarrare solent, etiam apparet, verba πρᾶξις δρώντων καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας etiam ad eas partes, quas modo dixi, pertinere. Itaque aliter res se habet in voce „πρᾶξις" sive „actio" atque in voce „Handlung", qua tam saepe „πρᾶξις" sive „actio" converti solent. Narrationem per se positam vox „Handlung" non tolerare videtur. Ita in

Horatius in A. P. 193—195 contra τὰ ἐμβόλιμα dixit: „actoris partis officiumque virile defendant, neu quid medios intercinat actus, quod non proposito conducat et haereat apte.“ Huc accedunt testimonia Don. in praef Andr.: „est igitur attente animadvertendum ubi et quando scaena vacua sit ab omnibus personis, ita ut in ea chorus vel tibicen obaudiri possint, quod cum viderimus, ibi actum esse finitum debemus agnoscere“, et in praef. Adelph.: „haec etiam ut cetera huiuscemodi poemata quinque actus habeat necesse est choris divisos a Graecorum poetis“, quibus testimoniis actus per chorica a solo choro cantata determinatos esse affirmatur. Atque Seneca, qui sine dubio doctrinam actuum secutus est, ad singulas partes actionis histrionalis dividendas semper chorica a solo choro cantata praeter Troad. 67—163 usurpat. Quod hoc commaticum Tr. 67—163 chori introeuntis duos actus seiungit, id cum numerus quinque actuum, quem poeta in universum secutus est, efflagitat, tum a poeta pariter atque tota chorica (cf. Oed. Sen 403 seq., Herc. Oet. 583) introducitur. Cf. Tr. Sen. 64—66. Huc accedit, quod hoc commaticum chori introeuntis longe aliter se habet atque parodus commatica tragoediae Graecae. Nam cum parodus commatica apud poetas Graecos eo quam maxime partem antecedentem, hoc est prologum, cum parte seqente, scilicet episodio primo coniungat, quod persona, quacum chorus canebat, et in ultima scaena prologi et in prima parte episodii sequentis agens permaneat, apud Senecam mirum in modum Hecuba, quacum chorus commaticum canebat, sub fine ipsius commatici v. 163 a scaena abscessit. Ita fit, ut id commaticum partem actionis histrionalis post eam posita non coniungat, ut e tragoedia Graeca exspectandum erat.

Andr. prologus, etiamsi non „Handlung‘ sed „Exposition“ habet, tamen e doctrina actuum pars prima „actionis‘ sive „actus“ primus huius fabulae est. Neque secus res se habet in primis actibus Senecae tragoediarum.

Ipsa doctrina actuum, cum ante Aristotelem, ut ex A. P. C. 12 apparet, non pervulgata esset, sine dubio eo tempore recepta esse videtur, quod inter Aristotelem et Aristophani Grammatici aetatem intercedit, ergo tertio saeculo a. Chr. n. (332 + Arist., 185 + Arist. Gr.). Sane huius doctrinae fundamentum iam illa *ἐμβόλιμα* Agathonis posuisse videntur[130]). Atque quoniam grammatici Alexandrini. ut ex argumento Andr. patet, in actus etiam tragoedias, quas manu tenemus, dividere soliti sunt, non initile erit, si videamus, quot partes actionis histrionalis sive actus illae tragoediae praebeant[131]).

Aesch. Pers. praebent 3 partes actionis fabulae evolvendae: 1—550, 601—853, 911 — 1077; Suppl. itidem 3 partes: 1—532 ,608—783, 832—1080; Prom. 4 partes actionis histrionalis: 1—412, 452—541, 581 —912, 939—1127; Septem 5 partes: 1—71, 165 — 273, 356—706, 777—816, 817 — 995[132]); Agam. 5

---

[130]) Poetae post Agathonem florentes eam viam, quam Agathon ingressus erat, premere perseverabant. Id enim in natura ac progressu rerum positum erat Inde sane explicatur, cur Aristoteles in C. 18 extr. haec scripserit: καὶ τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι μὴ ὥσπερ Εὐριπίδῃ ἀλλ' ὥσπερ Σοφοκλεῖ. τοῖς δὲ λοιποῖς τὰ ᾀδόμενα οὐδὲν (οὐδὲν a Vahl. additum) μᾶλλον τοῦ μύθου ἢ ἄλλης τραγῳδίας ἐστίν· διὸ ἐμβόλιμα ᾄδουσιν πρώτου ἄρξαντος Ἀγάθωνος τοῦ τοιούτου etc. E quo loco verba Horatiana A. P. 193—195 supra allata fluxerunt. Atque quoniam Aristoteles chorum partes histrionis cuiusdam suscipere vult, inde fortasse in C. 12 A. P. χορικόν pariter atque partes actionis histrionalis pro partibus tragoediae declaravit. Cf. Vahlen, Sitzungsbericht, vol. 52, p. 150.

[131]) Cf. Ussing, Prol. in Pl. p. 164 — 165, qui tamen partes actionis histrionalis in tragoediis Graecis non recte distinxit. Contra Leo Plaut. Forsch. p. 209 recte numerum partium Aristotelicarum actionem histrionalem continentium statuisse videtur, qui 6 vel 7 tales partes apud Soph. et Eur. invenisse videtur.

[132]) Septem 995 fortasse finiuntur. Wilam., Hermes vol.

partes: 1—39, 270—378, 494—685, 774—965, 1019—1673; Choeph. 5 partes: 1—21, 83—582, 649—778, 837—933, 971—1074; Eum. 5 partes: 1—142, 179—321, 400—492, 569—780, 797—1047; Aiax 6 partes: 1—133, 201—595, 646—692, 719—865, 878—1184, 1223—1419; Antig. 7 partes: 1—99, 155—331, 376—581, 626—780, 801—943, 988—1114, 1155—1353; Oed. Rex 6 partes: 1—150, 216—462, 512—862, 911—1085, 1110—1185, 1223—1530; Trach. 7 partes: 1—93, 141—204, 225—496, 531—632, 663—820, 863—946, 971—1278; Soph. El. 5 partes: 1—471, 516—822, 871—1057, 1098—1383, 1398—1510; Phil. 4 partes: 1—675, 730—826, 856—1080, 1218—1408; Oed. Col. 6 partes: 1—509, 549—667, 720—1043, 1096—1210, 1249—1555, 1579—1779; Alcestis 6 partes: 1—76, 136—212, 238—434, 476—567, 606—961, 1006—1163; Medea 6 partes: 1—409, 446—626, 663—823, 866—975, 1002—1250, 1271—1419; Hippolytus 6 partes: 1—120, 170—524, 565—731, 776—1101, 1151—1267, 1282—1467; Hecuba 5 partes: 1—440, 484—628, 657—904, 952—1023, 1035—1295; Andr. 6 partes: 1—116, 147—273, 309—463, 493—765, 801—1008, 1047—1289; Heraclidae 5 partes: 1—352, 381—607, 630—748, 784—891, 928—1055; Hercules 6 partes: 1—106, 138—347, 442—636, 701—762, 814—1015, 1039—1429; Suppl. Eur. 6 partes: 1—41, 87—364, 381—597, 633—777, 794—954, 980—1234; Troades 5 partes: 1—196, 230—510, 568—798, 860—1059, 1118—1333; Iphig Taur. 5 partes: 1—391, 456—642, 658—1088, 1152—1233, 1284—1499; Ion 6 partes: 1—183, 237—451, 510—675, 725—1048, 1106—1228, 1250—1624; El. Eur. 5

21, p. 606, adn 3: „Ich betrachte es als ausgemacht, dass die Exodos der Sieben nicht von Aischylos ist“.

partes: 1—431, 487—698, 747—858, 880 — 1146, 1165—1359; Helena 5 partes: 1—514, 528 — 1106. 1165—1300, 1369—1450, 1512 — 1692; Phoen. 6 partes: 1—201, 261—637, 690—783, 834 — 1017, 1067—1283, 1307—1766; Orestes 5 partes: 1—315, 318—806 844—1352, 1366—1536, 1549 — 1693; Bacch. 6 partes: 1—63, 170—369, 434—518, 576—861, 912—976, 1024—1392.

Itaque doctrina actuum in tragoediis poetarum Graecorum adhibita praebebunt e 7 Aeschyleis tragoediis duae (Suppl. et Pers.: 28 $^4/_7$ %) tres actus, una (Prom: 14 $^2/_7$ %) quattuor actus, quattuor (Septem., Agam., Choeph., Eum.: 57 $^1/_7$ %) quinque actus; deinde e 7 Sophocleis tragoediis una (Phil.: 14 $^2/_7$ %) quattuor actus, una (El.: 14 $^2/_7$ %) quinque actus, tres (Aiax, Oed. R., Oed. Col.: 42 $^6/_7$ %) sex actus, duae (Antig et Trach.: 28 $^4/_7$ %) septem actus; denique e 16 Euripideis tragoediis 7 (Hecuba, Heracl., Tr., Iph. T, Or., Hel, El.: 43 $^3/_4$ %) quinque actus, 9 (Alc., Med., Hipp., Andr., Herc., Suppl., Ion, Phoen., Bacch.: 56 $^1/_4$ %) sex actus. Atque cum e tribus poetis Euripides apud poetas novae comoediae ac tragoediae summa auctoritate fuerit, non a veritate alienum erit, si statuimus, eos in suis fabulis distribuendis Euripidem consuluisse, indeque eas in sex et quinque partes actionis histrionalis divisisse. Ad quam sententiam probandam vel improbandam, quatenus ad comoediam novam pertinet, multum valent comoediae Plautinae et Terentianae, quarum in actus distributionem in peculiari libro tractabimus [133]. Apud tragicos autem rem ita se

[133]) Leo, Plaut. Forsch. p. 203: „Einige (sc. comoediae Plaut.) lassen sich ungezwungen in 5 Akte teilen, andere aber mindestens ebenso ungezwungen in 6 od. 7 Akte". Quod autem Ussingus, Prol. in Pl., p. 168 de hac re disseruit, id non magni faciendum est quia in iis dividendis satis strenue ac severe regulam Donati, qua finis actuum per vacuitatem scaenae definitur, adhibuisse videtur. Quam regulam ne in Se-

habuisse, ut dixi, e Senecae tragoediis patet. Septem enim e tragoediis eius Herc. (fur.), Medea, Troades, Thyestes, Agam., Phaedra, Herc. Oet. quinque actus, una Oed. sex actus habent [134]). Quo pacto doctrina actuum praecipue numerum quinque actuum probaverit[135]), cum eorum numerus in Euripideis tragoediis, quas habemus, paulo minor sit (43 3/4 %) quam numerus sex actuum (56 1/4 %), in capite IV huius dissertationis apparebit[136]).

---

necae quidem tragoedias, in quibus manifesto poeta doctrinam actuum secutus est, semper quadrare in „Addendis“ demonstrabo.

134) Cf. Leo, l. l., p. 209.

135) Doctrinam actuum praecipue cum numero quinque actuum coniunctam esse Leo, l. l., p. 205 seq. demonstravit.

136) Quod de doctrina quinque actuum Fr. Fritzchius in sua commentatione „Quattuor leges scaenicae Graecorum poeseos ab Horatio in A. P. latae (Lips. 1858)“ p. 30—51 disseruit, id iam propterea respuendum est, quod non satis recte in tragoediis Graecis praecipue Euripideis partes Aristotelicas distinxit.

Caput III.

Quid Aristoteles de conformatione dramatica tragoediarum Graecarum censuerit.

Aristotelem tragoediarum Graecarum proprietatem dramaticam im fortunae commutatione agnovisse ex his duobus locis praecipue evinci potest: 1) C. 7, 1451 a 13 . . . *ὡς δὲ ἁπλῶς διορίσαντες εἰπεῖν ἐν ὅσῳ μεγέθει κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον ἐφεξῆς γιγνομένων συμβαίνει εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας ἢ ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν μεταβάλλειν ἱκανὸς ὅρος ἐστὶν τοῦ μεγέθους*; 2) C. 13, 1452 b 34 seq. . . . *πρῶτον μὲν δῆλον, ὅτι οὔτε τοὺς ἐπιεικεῖς ἄνδρας δεῖ μεταβάλλοντας φαίνεσθαι ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν . . . οὔτε τοὺς μοχθηροὺς ἐξ ἀτυχίας εἰς εὐτυχίαν* [137]). Hinc Theophrasti definitio tragoediae apud Diom. VIII 1 tradita: *ἡρωικῆς τύχης περίστασις* orta ecse videtur, cui haec definitio comoediae eodem loco servata: *ἰδιωτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή* ab eo ipso opposita erat[138]).

---

[137]) Illis autem verbis, quae C. 6. 1449 b 24 seq. in definitione ipsius tragoediae invenimus: ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως . . . . δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν, potius efficacitas tragoediae quam eius vis dramatica destinatur. Tamen quantum absit, quin his duobus affectibus φόβῳ et ἐλέῳ efficacitas tragoediarum exhauriatur, Wilamowitzius, qua subtilitate ingenii est, iam dudum Herc. I, 110[1] animadvertit.

[138]) Cf. Wilam. Herc. I, p. 117[1].

Proprietate dramatica tragoediarum e sententia Aristotelica indicata facile intellegitur, quo modo ille ad partitionem dramaticam tragoediarum C. 18, 1455 b 24 seq. expositam pervenerit, quam statim hic appono: ἔστι πάσης τραγῳδίας τὸ μὲν δέσις τὸ δὲ λύσις· τὰ μὲν ἔξωθεν καὶ ἔνια τῶν ἔσωθεν πολλάκις ἡ δέσις, τὸ δὲ λοιπὸν ἡ λύσις. λέγω δὲ δέσιν μὲν εἶναι τὴν ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τούτου τοῦ μέρους ὃ ἔσχατόν ἐστιν ἐξ οὗ μεταβάλλειν εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας συμβαίνει ἢ ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν[139]), λύσιν δὲ τὴν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς μεταβάσεως (sc. τοῦ μεταβάλλειν εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας ἢ ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν) μέχρι τέλους. Nam in hac dramatica divisione Aristoteles λύσιν et δέσιν non solum eo distinguit, quod haec τὰ μὲν ἔξωθεν καὶ ἔνια τῶν ἔσωθεν, illa τὸ λοιπὸν est, sed etiam eo, quod δέσις per id μέρος ὃ ἔσχατόν ἐστιν ἐξ οὗ μεταβάλλειν εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας συμβαίνει ἢ ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν ad finem perducitur, λύσις autem ab ἀρχῇ τῆς μεταβ., quae ab illo μέρει pendet, incipitur. Ad has duas partes earumque definitiones prosus intellegendas addidit Aristoteles C. 18, 1455 b 29—32 exemplum e Theodectis Lynceo petitum: ὥσπερ ἐν τῷ Λυγκεῖ τῷ Θεοδέκτου δέσις μὲν τά τε προπεπραγμένα καὶ ἡ τοῦ παιδίου λῆψις καὶ πάλιν ἡ αὐτῶν δή * * [140]) ἀπὸ τῆς αἰτιάσεως τοῦ θανάτου μέχρι τοῦ τέλους. Tamen ad id exemplum intellegendum, quoniam ipsa tragoedia, unde petitum est, periit, necesse est, ut eam restituamus. Quam rem ut absolvamus, praeter verba modo allata etiam locus A. P. 11, 1452 a 27—79 in censum vocandus est, ubi haec

---

[139]) Verba ἐκ δυστυχίας συμβαίνει ἢ ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν optimo iure a Vahleno addita sunt. Cf. mant. Gram. ad C. 18 A. P. 1455 b 27, p. 190[3].

[140]) Post δή Vahlenus excidisse putat haec: ἀπαγωγή, λύσις δ' ἡ. Ego quidem legerim hoc loco: καὶ πάλιν ἡ αὐτοῦ δήλωσις, λύσις δ' ἡ, ubi vox δήλωσις ex argumento fabulae ipsam agnitionem significare videtur.

leguntur: *καὶ ἐν τῷ Λυγκεῖ ὁ μὲν ἀγόμενος ὡς ἀποθανούμενος. ὁ δὲ Δαναὸς ἀκολουθῶν ὡς ἀποκτενῶν τὸν μὲν συνέβη ἐκ τῶν πεπραγμένων ἀποθανεῖν, τὸν δὲ σωθῆναι.* Ex quibus locis de compositione ipsius tragoediae hoc colligitur: Hypermestram filiam Danai coniugium suum cum Lynceo, quem occultum servasset, patrem celasse, sed proditam esse per infantem filium, qui ex eo matrimonio natus esset. a Danao nescio quo casu inventum ac agnitum; nunc Lynceum a socero suo in iudicum raptum esse, ut capite poenas furtivarum nuptiarum lueret, sed Argivos, Danai imperium iam dudum exosos, Lynceum absolvisse et Danaum capitis damnasse [141]). Itaque ad *δέσιν* huius tragoediae spectant Hypermestrae coniugium occultum eiusque fructus, quibus praecipue *τὰ προπεπραγμένα* redduntur, deinde ex iis, quae coram spectatoribus accidunt, inventio infantis filii eiusque agnitio, qua illud *μέρος* effíci videtur, unde *ἀρχὴ τῆς μεταβ.* redundat; ad *λύσιν* autem referenda sunt capitis accusatio, qua *ἀρχὴ τῆς μεταβ.* continetur, deinde Lyncei absolutio et Danai damnatio. Ex his, quamquam, ut per se intellegitur, non satis certa sunt, tamen certo colligi potest, in illis verbis, quibus *δέσις* definitur, ea Aristotelem *τὰ ἔξωθεν* vocasse, quae extra tragoediam id est ante initium tragoediae peracta sunt (*τὰ προπεπραγμένα*); *τὰ ἔσωθεν* autem, quae in ipsa tragoedia coram spectatoribus accidunt [142]), deinde illud *μέρος ὃ ἔσχατόν ἐστιν ἐξ οὗ* etc. esse eam partem actionis, unde necessitate quadam initium commutationis fortunae evadit [143]). Quae sane ad dramaticam divisionem

---

141) Haec e sententia C. O. Mülleri (Graecorum de Lynceis fabulae, Gott. 1837 p. 11) dicta sunt. Cf. etiam Welcker, die griech. Tr., 1076—7; Vahlen, zur Kritik Arist. Schriften, Sitzb. der Wien r Ak, B. 38, p. 80—81.

142) Sic iam G. Hermanus haec verba intellexit p. 161 A. P., adn. ad C. 18, 9.

143) Sic recte in universum Vahlenus p 132, Sitzb. der Wiener Ak., vol. 52, definitiones δέσεως et λύσεως interpre-

e sententia Aristotelica constituendam satis sunt, ut in ceteras tragoedias, quas manu tenemus, eam transferamus, quo clarius eius natura nobis appareat. Ita in Hipp. Eur. soliloquium Veneris (1—57) praebet ea, quae ante initium tragoediae peracta erant, quibusque fundamentum *δέσεως* huius tragoediae efficitur, scilicet, quo modo factum fuerit, ut Phaedra furtim Hippolytum amare coeperit. In sequentibus ad haec *προπεπραγμένα* fit prima accessio novae rei v. 288—361, ubi Phaedra amorem suum nutrici prodit; altera v. 565—668, ubi Hippolytus amorem Phaedrae respuit; tertia v. 776—789, ubi Phaedram laqueo vitam finisse famula nuntiat. Inde Theseus per epistulam Phaedrae mortuae in errorem inductus a patre Neptuno interitum filii precatus est (v. 856—890), simulque eum e patria exire iubet (958—980), quibus re-

tatus est. Neque male illud verbum πολλάκις intellexit: „das ist in der Regel die Schürzung". Δέσιν enim interdum, quamquam rarissime non ἔνια (ergo plus, quam unum) των ἔσωθεν sed tantum unum των ἔσωθεν continere posse imprimis ex Aiace Sophocleo apparet. In δέσει huius tragoediae, quae usque ad v. 815 τὴν ἀρχὴν τῆς μεταβάσεως porrigitur, omnia ex iis, quae προπεπραγμένα dicuntur, pendent, praeter v. 719 seq., ubi tantum accessio novae rei ad τὰ προπεπραγμένα fit, cum nuntius Teucri verba Tiresiae ad infortunium Aiaci imminens pertinentia primum cum choro, tum cum ipsa Tecmessa communicat. Ergo huius tragoediae δέσις non ἔνια των ἔσωθεν, ut in ceteris tragoediis sed ἓν τῶν ἔσωθεν praebet. Praeterea non neglegendum est, quod Aristoteles in definitione δέσεως statuenda etiam poetas aequales in censum vocare potuit, qui fortasse saepius quam poetae veteres ad δέσιν efficiendam ἓν τῶι ἔσωθεν usurpabant. Atque e tragoediis Senecae, quae sine dubio propius quam tragoediae veterum tragicorum accedunt ad tragoedias aequalium Aristotelicorum, Agamemno in primis duobus actibus ea, quae ad τὰ προπεπραγμένα spectant, exhibet; in tertio autem prima accessio novae rei ad τὰ προπεπραγμένα eo fit, quod Eurybates Agamemnonem mox reversurum esse nuntiat. Aliter Th. Heine l. l p. 8—9 definitionem δέσεως interpretatus est, qui tragoediam Graeca in universum tantum e solutione constare vult. Cf. etiam p. 4, adn. 2.

bus illud μέρος ὃ ἔσχατόν ἐστιν ἐξ οὗ etc efficitur[144]. Pars, quae post illud μέρος invenitur, v. 1151—1267, praebet ἀρχὴν τῆς μεταβάσεως, cum ibi nuntius Theseo enarrat, quomodo Neptunus eius preces exaudiens Hippolytum perdiderit. In sequentibus μετάβασις eo propagatur, quod v. 1282—1341 Thesea Diana docet, filium eius Phaedrae calumniis circumventum insidiisque Veneris perditum esse, v. autem 1440—1461 Hippolytum morientem et cum patrem conciliatum praebent, quibus ἡ μετάβασις τῆς πράξεως ad finem perducitur. Alterum exemplum ex Oed. R. Sophocleo petere mihi placuit. In hac tragoediae τὰ ἔξωθεν sunt occisio Lai a filio nesciente perpetrata et coniugium Oedipi cum matre, unde Thebanorum urbs pestilentia absumitur. Ad quas res in ipsa tragoedia accedunt oraculum Apollinis, quod a Creonte Oedipo nuntiatur v. 85—150, Tiresiae incusatio v. 316—465, quam Oedipus credere non vult, colloquium Oedipi cum Jocasta v. 678—682, quo eius dubitationes augentur, nuntius Corintho adlatus v. 950—1085, unde Oedipus se non filium Polybi esse comperit, professio Lai famuli v. 1121—1185, unde Oedipus, quin interfector patris matrisque coniunx sit, porro dubitare non potest. Quae professio sine dubio illud μέρος est, quam necessario ἀρχὴ τῆς μεταβ. sequi debet Atque re vera in ea parte, quae post illam invenitur, verba nuntii v. 1223—1296 ipsius μεταβάσεως initium praebent, scilicet quomodo Oedipus sibi oculos effoderit, cum Jocastam matrem laqueo vitam finisse vidisset. In sequentibus autem v. 1037—1530 Oedipus miseriam suam ipse demonstrat. Restat, ut tertium exemplum e tragoediis Aeschyleis depromam. In qua re perficienda ad eius Agam. aggredior. Ibi τὰ ἔξωθεν ad profectionem Agamemnonis adversus Troiam et ea, quae cum hac re cohaerent, pertinent. Ad quas res haec

---

[144]) Tota actio huius tragoediae manifesto non in sorte Phaedrae, sed Hyppolyti versatur.

ἔνια τῶν ἔσωθεν accedunt: signum Troiae captae v. 22—39, adventus nuntii Agam. v. 592—685, adventus Agamemnonis ipsius, qui a Clytaemestra excipitur, ut interficeretur v. 774—965, praedictio Cassandrae v. 1056—1329, qua ἀρχὴ τῆς μεταβάσεως v. 1342—1370, id est planctus Agamemnonis morientis aliquo modo praeparantur. Ergo a v. 1342 seq. λύσις Aristotelica incipitur. In sequentibus v. 1371—1673 μετάβασις τῆς πράξεως ad finem eo perducitur, quod Aegisthus et Clytaemestra Agamemnonem interfecisse profiteri non verentur. Ex his tribus exemplis apparet, prioris partis nomen δέσεως inde petitum esse, quia ibi praecipue per accessionem nonnullorum τῶν ἔσωθεν ad τὰ προπεπραγμένα actio ita nectitur, ut nodus quidam actionis efficiatur, id est illud μέρος ὃ ἔσχατόν ἐστιν etc.[145]) Quoniam autem altera pars ex hoc ipso nodo solvi videtur, non mirum est, eam λύσιν appellatam esse, quamquam re vera ipsam μετάβασιν proponit[146]).

Ex eadem proprietate dramatica tragoediarum, ex qua Aristoteles has duas partes partitionis dramaticae deduxit, etiam illa quattuor genera tragoediarum C. 18,

[145]) Prologus ob τὰ ἔξωθεν sive τὰ προπεπραγμένα, quae praecipue explicat, simulque ob definitionem δέσεως: λέγω δὲ δέσιν μὲν εἶναι τὴν ἀπ' ἀρχῆς (sc. τῆς τραγ.) etc. pars non neglegenda δέσεως est.

[146]) Satis mirum est, quod Vahlenus vir egregius totiens illud μέρος, unde μετάβασις initium capit, cum ipsa μεταβάσει, quae post illud μέρος invenitur, confundit. Ita p. 141, Sitzb. 52, haec leguntur: „Zu diesem Zwecke war dargelegt, dass jede Tragödie Schürzung u. Lösung habe, welche durch die μετάβασις der Handlung gesondert werden". Atque e sententia Aristotelica haec sic corrigenda sunt: „. . . . welche durch jenen Teil der Handlung, woraus der Glücksübergang oder = umschwung seinen Anfang schöpft, gesondert werden". Ea enim, in quibus ipsa μετάβασις peragitur vel demonstratur, ut iam explicatum est, ad λύσιν referenda sunt.

1455 b 32 seq. enumerata orta esse videntur. In qua re demonstranda incipiamus a tragoedia inplicata, quae C. 18, 1455 b 33 sic definitur: ἡ μὲν πεπλεγμένη ἧς τὸ ὅλον ἐστὶν περιπέτεια καὶ ἀναγνώρισις. Quod hoc loco tragoedia simplex, quae ei opponatur, excidit, id praecipue e C. 10, 1452 11 seq. docemur[147]), unde etiam apparet, quo modo illud ἧς τὸ ὅλον etc. intellegendum sit. Sed afferamus locum ipsum (C. 10, 1452 a 11 seq.): εἰσὶ δὲ τῶν μύθων[148]) οἱ μὲν ἁπλοῖ οἱ δὲ πεπλεγμένοι, καὶ γὰρ αἱ πράξεις ὧν μιμήσεις οἱ μῦθοί εἰσιν ὑπάρχουσιν εὐθὺς οὖσαι τοιαῦται. λέγω δὲ ἁπλῆν μὲν πρᾶξιν ἧς γινομένης ὥσπερ ὥρισται συνεχοῦς καὶ μιᾶς ἄνευ περιπετείας ἢ ἀναγνωρισμοῦ ἡ μετάβασις γίνεται, πεπλεγμένη δέ ἐστιν ἐξ ἧς μετὰ ἀναγνωρισμοῦ ἢ περιπετείας ἢ ἀμφοῖν ἡ μετάβασίς ἐστιν[149]). Itaque discrimen inter simplicem et implicatam tragoediam intercedens in eo ponitur, quod metabasis tragoediae implicatae aut cum anagnorismo aut cum peripetia aut cum utroque coniuncta est, metabasis autem tragoediae simplicis cum neutro coniuncta est. Atque cum μετάβασις τῆς πράξεως semper id efficiat, ad quod tota actio contendit, facile intellegitur, cur in C. 18, 1455 b 33 illud genus tragoediae implicatae sic definitur: ἧς τὸ ὅλον ἐστὶν etc.[150]) Ergo anagnorismus vel peripetia, quae non ipsam rem tangit, qua commutatio fortunae efficitur, ex sententia Aristotelica tragoediam implicatam reddere non potest. Ita anagnoris-

---

147) Cf. praeterea initium C. 24, 1459 b, 7 seq. Recte ergo Vahlenus p. 133—134, Sitzb. 52, ante verba ἡ δὲ παθητική in C. 18, 1455 b, 34 ἡ ἁπλῆ cum definitione desse suspicatus est.

148) C. 6, p. 1450 a, 4 seq.: λέγω μῦθον τοῦτον τὴν σύνθεσιν τῶν πραγμάτων.

149) Ex hoc loco apparet, tragoediam μετάβασιν, non peripetiam, semper habere debere. Cf. Vahlen p. 94, Sitzb. 52.

150) Quod ad verba τὸ ὅλον in definitione generis implicati pertinet, confer Vahlenum p. 137, Sitzb. 52.

mus, qui in Choeph. 212—584 inter El. et Or. intercedit, non tanti momenti esse potest, ut hanc tragoediam implicatam faciat, quamquam is ut *ἀναγνωρισμὸς ἐκ συλλογισμῷ* C. 16, 1455 a 4 ab Aristotele commemoratur, quia eo ipsa commutatio fortunae Aegisthi et Clytaemestrae, occisorum Agamemnonis non tangitur. Quoniam autem metabasis, ut a nobis demonstratum est, ab eo *μέρει, ὅ ἔσχατόν ἐστιν ἐξ οὗ* etc. pendet, fit, ut illa verba: *ἐξ ἧς* (sc. *πράξεως*) *μετὰ ἀναγνωρισμοῦ ἢ περιπ. ἢ ἀμφοῖν ἡ μετάβασίς ἐστιν* anagnorismum aut peripepetiam ad tragoediam implicatam efficiendam non solum in ipsa metabasi, sed etiam in illo *μέρει, ὃ ἔσχατόν ἐστιν* etc. admittant. Ita in Oed. metabasis v. 1223 seq. ob anagnorismum in illo *μέρει* v. 1121—1185 positum, unde ipsa initium sumit, sine dubio pro tali metabasi habenda est, quae cum *ἀναγν. ἐκ περιπ.* coniuncta est. Contra in Ione anagnorismus in ipsa metabasi invenitur (v. 1369—1552).

Quo modo autem ab Aristotele C. 10, 1452 a 11 seq. actio implicata et simplex per accessionem vel non accessionem anagnorismi et peripetiae ad metabasin distinguitur, eodem modo etiam illa duo genera tragoediae ethicae et patheticae per accessionem vel non accessionem *πάθους*[151]) ad metabasin disiunxisse verisimile est, quamquam de hac re Aristoteles nihil certi dixit[152]). Itaque actio, cuius metabasis cum *πάθος* coniungitur, pathetica; cuius autem non cum *πάθος* coniungitur, ethica e sententia Aristotelica appellanda est. Atque quo modo in tra-

---

151) Πάθος ut tertia pars mythi sic definitur 1455 b, 11—13: πάθος δέ ἐστι πρᾶξις φθαρτικὴ ἢ ὀδυνηρά, οἷον οἵ τε ἐν τῷ φανερῷ θάνατοι καὶ αἱ περιωδυνίαι καὶ τρώσεις καὶ ὅσα ταῦτα.

152) Quo modo factum sit, ut hoc loco C. 18 (1455 b, 32 seq.) praeter illa quattuor genera tragoediae simplicis, implicatae, atrocis, moratae, quintum genus τερατῶδες commemoraretur, explicat egregie ac distincte Vahlenus p. 134, Sitzb. 52.

goedia implicata metabasis eo cum anagnorismo vel peripetia coniuncta esse potest, quod anagnorismus vel peripetia aut in illud μέρος ἔσχατον, unde illa initium sumit, aut in eam ipsam cadit, eodem modo etiam in pathetica πάθος aut in illud μέρος aut in ipsam metabasin cadere potest. Ita in Hippolyto iam illud μέρος ὃ ἔσχατόν ἐστιν etc. eo magnas περιωδυνίας praebet, quod Theseus morte Phaedrae, cuius corpus in scaena conspicitur, permotus a patre Neptuno interitum filii efflagitat; in Aiace habemus πάθος, id est τὸν ἐν τῷ φανερῷ θάνατον, in τῇ ἀρχῇ τῆς μεταβάσεως v. 815—865; in Oed. Rege 1307 seq., quibus altera pars μεταβάσεως incipitur, eo πάθος efficiunt, quod ibi Oedipus ipse illam oculorum τρῶσιν spectatoribus ostendit, de qua nuntius in τῇ ἀρχῇ τῆν μεταβ. v. 1223—1296 locutus erat[153]).

Non abs re erit, si hoc loco nonnulla, quae per se intelleguntur, de ratione inter haec 4 genera tragoediarum intercedente dicam. Atque ipsa nomina generum, ne de definitionibus eorum dicam, satis docent, in una eademque tradoedia simplex genus cum implicato pariter atque patheticum cum ethico nullo modo coniungi posse. Restat igitur, ut seorsum genus implicatum et simplex aut cum pathetico aut cum ethico coniungatur. Atque cum metabasis, qua tota solutio actionis efficitur, non ex una parte, sed ex pluribus, saltem duabus constet, fieri potest ac fit, ut in una parte μεταβάσεως vel in ipso μέρει, unde illa manat, anagnorismus sive peripetia, inveniatur, in alia autem parte μεταβάσεως πάθος aut insit aut desit. Ita in Oed. R. genus implicatum cum pathetico manifesto coniunctum est, quia id μέρος, unde ἀρχὴ τῆς μεταβ. defluxit, v. 1152—1233 anagn. e perip. praebet, pars

[153]) De ratione, quae, inter patheticum et ethicum genus intercedit, ita Vahlenus p. 137, Sitzb. 52 disputavit. Aliter Th. Heine, l. l. p. 19.

autem altera μεταβάσεως a v. 1307 incipiens, ut iam demonstravi, pathos continet; in Iphig. Taur. genus implicatum cum ethico consociatum est, quia id μέρος, unde metabasis initium sumit, v. 725—1088 anagn. inter fratrem et sororem continet, partes autem ipsius μεταβάσεως v. 1152—1223, 1284 — 1499 pathos non praebent. Quoniam autem in iis tragoediis, in quibus neque id μέρος, unde metabasis incipitur, neque partes ipsius μεταβάσεως anagnorismum vel peripetiam continent, metabasis tamen aut cum πάθος aut non cum πάθος coniuncta sit necesse est, fit, ut simplex tragoedia aut cum genere pathetico aut cum genere ethico consociata sit. Ita in Septem coniunguntur genus patheticum et genus simplex, quia una ex parte neque in id μέρος, unde metabasis nascitur, neque in partibus ipsius μεταβάσεως anagnorismus sive peripetia invenitur, altera ex parte in ultima parte μεταβάσεως v. 847—995 pathos effunditur; in Eum. autem genus ethicum cum simplice iungitur, quia id μέρος, unde metabasis nascitur, neque anagnorismum peripetiamve neque pathos praebent. Atque ipsum Aristotelem hanc coniunctionem generum admisisse ex initio C. 24 A. P. elici potest, ubi haec leguntur: ἔτι δὲ τὰ εἴδη ταῦτα δεῖ ἔχειν τὴν ἐποποιίαν τῇ τραγῳδίᾳ ἢ γὰρ ἁπλῆν ἢ πεπλεγμένην ἢ ἠθικὴν ἢ παθητικήν· ἡ μὲν Ἰλιὰς ἁπλοῦν καὶ παθητικόν, ἡ δὲ Ὀδύσσεια πεπλεγμένον, ἀναγνώρισιν γὰρ διόλου καὶ ἠθική[154]).

Quoniam, quae Aristoteles de tragoediarum Graecarum conformatione dramatica disseruit, exposuimus, restat, ut videamus, secutine sint grammatici Alexandrini eam necne. Atque eos saltem eo tempore, quo Aristophanes Grammaticus florebat, eam non secutos esse ex altero argumento Alcestidis

---

[154]) De ratione, quae inter quattuor genera tragoediarum intercedit, disputaverunt Vahlenus p. 139, Sitzb. 52, Th. Heine l. l. p. 24.

fortasse conicere licet. In hoc enim argumento, quod optimo iure ad eum refertur[155]), haec tradita sunt: *τὸ δὲ δρᾶμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν καταστροφήν*. Quae verba praecipue ad exodum huius tragoediae v. 1006—1163 respiciunt, quae ex Aristotelis sententia potius *μετάβασις* sive *λύσις* nominanda erat Quod hoc loco verbum *καταστροφήν* in universum dictum esse eo probabilius redditur, quod Polybius praeter 3, 48, 4 *αἱ καταστροφαὶ τῶν δραμάτων* etiam 5, 54, 4 *καταστροφὴ τοῦ βίου*; 3, 1, 9 *καταστροφὴ καὶ συντέλεια τῶν γεγονότων*; 3, 47, 8 *καταστροφὴν καὶ ἔξοδον λαμβάνειν*; 1, 13, 5 *τὴν καταστροφὴν τῆς βίβλου ποιεῖσθαι εἰς τοῦτο* et alias similia dicat. Neque hoc loco *καταστροφή* ab Aristophane Grammatico eo speciali sensu dicta esse potest, quo in Euanth. tract. de com. Gr. IV, 5 et Donati de com. Gr. VII, 4 usurpatur, cum ea tota partitio comoediae, quae ibi commemoratur et explanatur, per se ipsa tam inepta ad aetatem multo posteriorem quam Alexandrinorum grammaticorum ipsiusque Polybi referenda sit [156]).

---

[155]) Wüstemannius hoc totum alterum argumentum Aristophanis Grammatici esse coniecit, ut ex appar. crit. edit. Wecklianae apparet.

[156]) Id dico e sententia Leonis, qui de hac partitione p. 209—212, Plaut. Forsch. disputavit.

Caput IV.

De progressionibus, quae in conformatione dramatica cernantur.

Priusquam ad progressiones, quae in conformatione dramatica observari possunt, accedamus, nonnulla de origine istius conformationis praemonenda sunt.

Quoniam ad transitum ab uno statu rerum in alterum efficiendum (Bewirkung des Situationwechsels), in quo natura ac finis conformatione dramaticae ponenda est, saltem duae partes, quarum una alteram impellat, ut aliquid faciat vel mittat[157]), necessariae sunt, vix de conformatione dramatica tragoediarum ante introductionem alterius histrionis loqui licet. Perraro enim transitum ab uno statu rerum in alterum sine accessione alterius histrionis ad priorem dramatice effici potest.[158]) Quapropter satis verisimile est, poetas, qui uno actore usi sunt, ad transitum ab uno statu rerum in alterum semper narratione usos esse, in qua re perficienda quam maxime eo adiuti sunt, quod unus idemque histrio diversas personas

[157]) Id duplici modo fieri posse per se patet. Aut enim una pars alteram repugnare potest, sicuti in Herc. Eur. 138—347, aut adiuvare, sicuti in Androm. Eur. 879—1008.

[158]) Perraro dico, quia tamen interdum his transitus, de quo hoc loco sermo est (Situationswechsel), etiam sine accessione alterius histrionis fieri potest, veluti in Agam. 21—39, ubi status rerum, quem v 1—20 depingunt, tantum per accessionem signi Troiae captae commutatur. Quod etiam tunc fieri

induere potuit[159]). Itaque per introductionem alterius histrionis ab Aeschylo perpetratam fundamentum conformationis dramaticae iactum esse videtur, quia tum demum poetae simul duas partes, quarum una alteram ad aliquid faciendum sive mittendum impelleret, in scaena inducere potuerunt. Qua tantummodo condicione transitus aliquis ab uno statum rerum in alterum, ut ipse factus esset, proponi potuit[160]). Tamen narratio ad transitum ab uno statu rerum in alterum proponendum, etiam tertio actore addito, adhibebatur, ubi is extra locum, quem scaena denotabat, accidere debebat, sive ob causam, quam facile in singulis locis eruere possis, eum in ipsa scaena peragere non licebat. Tamen per tales narrationes in tragoedia duorum vel trium actorum semper dramatica actio adiuvatur vel propagatur, cum istae et ab antecedentibus, quae in scaena dramatice peracta sunt, et ad sequentia quae in scaena dramatice agenda sunt, instituenda momentum quam maxime necessarium praebeant[161]).

---

potuit, si argumentum fabulae chorum partes histrioni oppositas agere permiserit. De qua re confer Suppl. Aesch. 832—921.

[159]) Quo modo Phrynichi, poetae tragoediarum unius histrionis, Μιλήτου ἅλωσις, Φοίνισσαι, Ἄλκηστις compositae fuerint, describit satis probabiliter Wilamowitzius Herc. I, 91 — 92[1].

[160]) Wilamowitz Herc. I, 93[1]: „Aeschylos des Euphorion Sohn von Eleusis führte den Dialog ein: damit war das Dramatische gefunden“.

[161]) Ita in Iphig. Taur. pastoris verba 236 seq., quibus demonstratur, quo modo Orestes in litore furens a pastoribus captus sit, praebent primam commutationem eius status rerum, quem prologi versus 67—122 ostendunt, simulque ad ea instituenda, quae paulo postea (v. 465 seq.) agenda sunt, gravissimum momentum afferunt; in Suppl. Eur. v. 634 seq., ubi nuntius enarrat, quo modo Theseus Thebanos vicerit, eoque ad mortuos Argivos tradendos coegerit, efficiunt fundamentum solutionis actionis a v. 794 incipientis, simulque ab antecedentibus v. 399—597 pendent; in Senecae Thyeste nuntii narratio, in actu IV 622—789 posita, in qua nuntiatur, quo modo Atreus liberos Thyestis trucidaverit atque coxerit, ipsique patri ad edendum artus eorum proponere ausus sit, praebet primam

Origine conformationis dramaticae illustrata aggrediamur ad progressiones eius exponendas. Cuius rei fundamentum praebet, ut iam ex exemplis C. III h. diss. allatis apparet. illa partitio dramatica, quam Aristoteles C. 18 A. P. commendat. Restat igitur, ut videamus, quo pacto ea dramatica momenta, quae ex illa partitione eliciuntur, n scaenicas partes C. II h. diss. pertractatas distribuantur. Inde ultro elucebit, quae progressiones in conformatione dramatica tragoediarum Graecarum insint.

Atque primo loco commemoranda sunt ea dramatica momenta, quibus initium Aristotelicae δέσεως destinatur. Quae momenta duo esse ex exemplis C. III allatis apparet. Quorum prius δέσιν eo destinat, quod τὰ προπεπραγμένα statumque rerum, qui actionem ipsam antecedit, illustrat. Cui rei nomen expositionis vulgo datur. Alterum momentum, quo praeterea δέσις destinatur, est illud primum τῶν ἔσωθεν, in accessione rei cuiusdam novae ad τὰ προπεπραγμένα positum, quo status rerum primarius commutatur, initiumque seqentium commutationum eiusdem status est. Quod momentum actionis nectendae appellare volumus. Atque initium scaenae, qua momentum actionis nectendae efficitur, pro initio actionis totius fabulae nimirum habendum est, quatenus ei non alia scaena praecedit, qua hoc ipsum momentum praeparatur. Ita in Phoen. momentum actionis nectendae eficitur ea scaena (v. 446—637), in qua Eteocles et Polynices ab Iocasta non conciliati diiudicationem discidii in pugnae eventu posuerunt. Tamen id momentum iam in antecedentibus scaenis v. 261—300, 301—442 eo praeparatur, quod ibi v. 261 Polynices matri oboediens pactoque fidens Thebas adiit, v. 301 autem Iocasta ad filium excipiendum in scaenam se contulit, propertereaque

partem solutionis actionis praeparatque id, quod in actu V v. 855 seq. ab Atreo et Thyeste peragitur. Quae tria exempla narrationis in tragoediam illatae ad nostram sententiam illustrandam satis sunt.

pro initio actionis totius fabulae non v. 446, ubi ea scaena incipitur, in qua ipsum momentum habemus, sed v. 261, unde ea scaena initium sumit, qua id momentum praeparatur, habendus est[162]).

His duobus momentis indicatis videamus, quo modo ipsa a poetis in singulas tragoedias distribuantur. In qua re demonstranda incipimus ab Aeschylo. In Pers. prima duo chorica (v. 1—142) pariter atque in Suppl. (v. 1—181), quibus chori introductio fit, *τὰ προπεπραγμένα* exponunt. Atque quoniam hae duae tragoediae, ut iam C. II h. diss. demonstratum est, ad aetatem vetustissimam spectant, pro vetustissima forma expositionis

---

[162]) Quod Arnim (de prol. Eur. arte et interpol. p. 85) initium actionis vocat, id nihil aliud est, nisi initium eius scaenae, qua plerumque momentum actionis nectendae efficitur. Appellat enim vir doctus initium actionis illum locum dramatis, in quo, partes inter se contrariae primum inter se opponantur. Propterea, ut exemplum ad definitionem Arniminianam explicandam aptum addam, in Bacchis v. 215 pro initio actionis habet, quo versu illa scaena incipitur, in qua eo, quod Pentheus Bacchum comprehendi atque ad se produci iubet, momentum actionis nectendae efficitur. Tamen quoniam id momentum iam scaena antecedente v 170—214. ubi colloquium inter Tiresiam et Cadmum habemus, praeparatur, ex mea quoque sententia v. 170 pro initio actionis habendus est. Confer v. 248 seq. Sed definitionem actionis incipiendae, ut ab Arnimo facta est. non semper ad initium eius scaenae. qua momentum actionis nectendae efficitur, congruere ex Iphig. Taur. evincitur. In qua tragoedia e definitione Arnimi actio a v. 467, ut ipse p. 85 testis est, incipitur, quia ibi Iphig. et Orestes illae partes, quae inter se contrariae sunt, primum inter se opponuntur, cum e nostra sententia actio a v. 236 incipiatur, quia inde initium sumit ea scaena, in qua status primarius, quem prologi v. 67—122 ostendunt, per narrationem pastoris commutatur. Inde etiam apparet, rectius momentum actionis nectendae eo definitum esse, quod primam commutationem status primarii praebet, ut ego feci, quam eo, quod ibi partes inter se contrariae primum inter se opponuntur, ut ex sententia Arnimi exspectandum erat.

prima chorica, quibus chori ante histrionem in scaenam introductio fieri solebat, habenda sunt[163]). Tamen parte quadam actionis histrionalis chori introitui praemissa nimirum factum est, ut munus expositionis in eam ipsam partem, a qua nunc tragoedia incipiebat, transferretur atque prima chorica, ut post eam posita, praecipue ad chorum in fabulam introducendum valere viderentur. Cum autem ad actionem incipiendam sive efficiendam ante omnia histriones necessarii essent, fieri potuit, ut illa prima pars histrionalis non solum expositionem, sed etiam actionem contineret. Atque re vera ex 5 Aeschyleis prologis praebent 4 (80%) expositionem cum momento actionis nectendae coniunctam, una tantum(20%) expositionem non cum hoc momento coniunctam. Et quidem in Septem (1—38), Agam. (1—21), Eum. (1—63) prior pars prologi tantum expositionem, altera tantum (Septem 39—77, Agam. 22—39, Eum. 64—142) momentum actionis nectendae praebent, cum in Prom. prologo (v. 1—129) expositio et momentum actionis nectendae inter se implectantur[164]). Contra in Choeph., ubi prologus totus (v. 1—21) ex expositione constat, momentum actionis nectendae altera pars episodii primi v. 221—582 praebet. Sane actio Choeph. iam v. 83, statim post chori introductionem (v. 22—83) incipitur, quia ibi ea scaena (v. 83—210) initium sumit, qua, etiamsi ipsum momentum actionis nectendae non adducitur, tamen praeparatur. Simili modo mo-

[163]) Ex iis, quae de scaenica conformatione prologi, C. II h. diss., dixi, satis dubium est, num illa vox prologi antiquitus istis primis choricis haeserit. Ergo haec chorica, quae vetustissimam formam parodi reddunt, praebent etiam vetustissimam formam expositionis, non prologi. Confer Fabia, Les prologues de Térence, p. 63; Dzatzko „Ueber de Plaut. Prol.“, p. 4.

[164]) Ita ad τά προπεπραγμένα huius fabulae, scil. furtum ignis eiusque proditionem, quae e personis in prologo agentibus comperimus, accedit poena Promethii hoc est in rupe eius affixio, quae res in ipso prologo conficitur.

mentum actionis nectendae in Pers. (v. 249—550) et Suppl. (v. 240—532) altera pars episodii primi exhibet, cum initium actionis statim post prima chorica harum tragoediarum (sic Pers. v. 143, Suppl. v. 182) ponendum sit, quia in utraque tragoedia ibi ea scaena incipitur (Pers. 143—248, Suppl. v. 182—239), qua illud momentum praeparatur. Quod ita res se habet in his tragoediis vetustisimis, id sine dubio ideo fit, quia hae tragoediae prologo non instructae sunt, ubi perfacile, ut in ceteris tragoediis, quas enumeravimus, praeter expositionem etiam momentum actionis nectendae collocatum esse potuerit. Ceterum non omittendum est, quod in expositione Aeschylea forma non dialogica praevalet: sic in Septem 1—37, Choeph. 1—21 expositio praebet orationis, in Agam. 1—21, Eum. 1—63 soliloquii formam. In qua re manifesto vis atque auctoritas formae tralaticiae prologi tragoediarum unius histrionis ostenditur, quoniam Aeschylus ob introductionem alterius histrionis facile in expositione scribenda formam colloquii adhibere potuit, ut imprimis ex Prometheo 1—88 apparet, ubi expositio ut cum actione coniuncta formam dialogicam ostendit[165].

Sed convertamus nos ad Sophoclem. Ex eius 7 prologis tantum duo Antig. et Oed. Regis (30%) expositionem cum momento actionis nectendae coniunctam exhibent. Et quidem in Antig. (v. 1—99) expositio et momentum actionis nectendae inter se implectuntur[166]; in Oed. autem Rege prior pars prologi (v. 1—84) expositionem, altera

[165]) Leo, Plaut. Forsch. p. 173: „Die Erfindung dieser Form (scil. der Exposition durch Wechselgespräch) muss man dem Aischylos zuschreiben, in dessen Prometheus sie erscheint, von den verlorenen Tragödien in den Phrygern (vit. Aesch.); denn sie hängt innerlich zusammen mit der Hinzufügung des 2 ten Schauspielers".

[166]) In prologo huius tragoediae ad τὰ προπεπραγμένα sc. occisionem fratrum et Creontis interdictionem accedit animi inductio Antigonae, ut fratrem quocumque pacto sepeliat, quod manifesto unum τῶν ἔσωθεν est.

(v. 85—150) momentum actionis nectendae praebet. In ceteris quinque prologis (70%) tantum expositio reperitur neque intra eos status primarius, quem tragoedia ponit, commutatur. Nam ea actio, quae in nonullis locis horum prologorum inveniri potest, momentum actionis nectendae neque proponit neque praeparat, sed tantum ad actionem fabulae in universum praeparandam valet. Sed quoniam prologorum Sophocleorum vis dramatica non satis perspecta est, non superfluum erit, si singula, quae in iis cum actione coniuncta esse videntur, strictim pertractabimus. Ac primum quidem in Aiace 91—117, in quibus actio inesse videtur, nihil aliud sunt, nisi illustratio dramatica τῶν προπεπραγμένων, quae cuncta e colloquio antecedente v. 1—90 comperta habemus. Deinde, quod sub fine prologi Trach. v. 61—93 Deianira filium ad patrem quaerendum famula consulente impellit, id manifesto tantum actioni fabulae in universum praeparandae inservit neque eo ipsum momentum actionis nectendae (v. 179—204) tangitur. Accedit Philoctetis prologus, ubi v. 55 seq. cum actione coniunctos esse quispiam forsan affirmaverit, quia ibi Ulixes Neoptolemo persuadere videtur, ut dolo in Philoctetem utatur. Tamen haec tantum ad ἦθος Neoptolemi et Ulixis, a quibus tota actio regitur, percipiendum atque illustrandum instituta sunt. Denique in Electrae prologo v. 38 seq., 80—85, quamquam cum actione coniuncti esse videantur, tamen tantum ad totam actionem huius fabulae praeparandam (cf. v. 660 seq.), non ad ipsum momentum actionis nectendae [v. 328—471 [167])] efficiendum positi sunt. Neque aliter res se habet in Oed. Col. prologo v. 70 ἆρ' ἄν τις αὐτῷ πομπὸς ἐξ ὑμῶν μόλοι, cum ipsum momentum actionis nectendae per accessionem

---

[167]) Verba Chresothemidis sine dubio momentum actionis nectendae efficitur. Inde enim accessum novae rei ad τὰ προπεπραγμένα comperimus, qui in somnio Clyt. ponendus est, quo factum est, ut Clyt., quam adhuc caedes coniugis non vexabat, nunc ea ipsa re exterrita se praeberet.

Ismenae ad Oedipum v. 324[168]) adducatur. Atque quoniam in his quinque tragœdiis prologus tantum expositionem continet, necesse est, ut momentum actionis nectendae, cuius initium in his tragoediis simul initium actionis ipsius est, statim post introductionem chori collocetur. Tamen cum chori introductio in quattuor ex his tragoediis, nempe Aiace, Trach., El., Oed. Col. non solum per illud canticum chori, quod parodus dicitur, sed etiam per colloquium inter eum iam in scaena astantem et histrionem quendam, quod priorem partem episodii primi occupat, fiat, id momentum in his tragoediis in altera parte episodii primi [sic Aiax 333—595[169]), Trach. 178—204, El. 328—471, Oed. Col. 324—509] ponendum est. Ergo tantum in Philoctete id momentum in priore parte episodii primi (v. 219 seq.) reperitur, quia in hac tragoedia ad chorum introducendum tantum parodus adhibita est. Ex hactenus dictis clarum est, momentum actionis nectendae sive initium totius actionis Sophoclem eo tempore, quo tragoedias vetustiores scripserat, et ante introitum chori (sicuti in Antig. et Oed. R.) et post introitum (sic in Aiace) in-

---

[168]) Initium actionis huius fabulae non tam in eo, quod Oedipus Thesea arcessivit, quo porro in loco Eum. sacro permanere posset (cf v. 70, 297—298), quam in eo, quod illius adiumento ac praesidio contra filios suos, qui eum secum ducturi sunt, se tegere ac munire vult (cf. v. 408, 455 — 460, 586—589). Quapropter pro initio actionis sine ulla dubitatione ille locus habendus est, in quo Ismena patri discidium fratrum et ea, quae cum eo cohaerent, enarrat (v. 324 seq.).

[169]) Aiacis v. 333—595 demonstrant nobis Aiacem de suis factis querentem longe aliter atque in prologo v. 91 seq., ubi Aiax nesciens furire pergit. Idcirco in his versibus (333 seq.) novam rem ad τὰ προπεπραγμένα scil. conscientiam rei ab eo perpetratae accedere statuendum est. Ad quam rem sane iam v. 201—332 nos praeparant, in quibus chorus per Tecmessam in ipsam actionem inducitur, cum ibi demum expositio huius tragoediae ad finem perducitur. Cf. v. 271—276. Itaque v. 333 seq. sine dubio momentum actionis nectendae exhibent.

struere non veritum esse, posteriore autem tempore tantum post introitum chori (veluti in El., Trach , Oed. Col., Phil) posuisse. — Ceterum notatu dignum est, quod prologi Sophoclei in universum formam colloquii sibi ascivisse videntur. Ex qua re excipitur initium prologi Trach. 1—48 et Phil. 1—25, ubi poeta oratione usus est[170]).

Consequens est, ut videamus, quo pacto Euripides expositionem et momentum actionis nectendae pertractare solitus sit. Quam rem ut feliciter absolvamus, ante omnia conformatio prologorum Euripideorum perspicienda est. Atque iam primo obtutu cognosci potest, in iis eum hanc legem inde ab Alcestide usque ad Bacchas secutum esse, ut ab uno soliloquio inciperentur. Atque cum in Bacchis et Suppl. hoc soliloquio prologus ad finem perductus sit, in ceteris omnibus eius tragoediis ultra id soliloquium procedit. Ita in Heracl., Herc., Iphig. Taur., Phoen., Oreste prologus per colloquium propagatur eoque ad finem perducitur. In Andromacha autem, Troad., El., Hel. ne hoc quidem colloquio prologus concluditur, cum ad id colloquium unum μέλος ἀπὸ σκηνῆς accedat. Contra in Hec. et Ione illi soliloquio, unde prologus incipitur, statim μέλος ἀπὸ σκηνῆς adiungitur eoque is ad finem perducitur. Ex his tribus elementis, quibus prologi Euripidei constant, soliloquium, quod, ut dixi, omnes tragoediae habent, strictim fere omnia προπεπραγμένα praebet, quibus fundamentum δέσεως efficitur. Atque interdum in hac prima oratione ultra τὰ προπεπραγμένα procedi permittitur, si persona, quae istam pronunciat, supra hominum vires est. De qua re cf. Hipp. 43—50, Hec. 45—49, Ion 69 seq., Bacch. 47—54. Itaque soliloquia prologorum Euripedeorum quam maxime muneri expositionis inserviunt. In colloquio autem, illo altero elemento prologorum Euripideorum, quo tan-

---

170) De tractatione expositionis et initio actionis Sophoclearum fabularum strictim disputat Leo, Plaut. Forsch. p. 173, ubi adn. 2 non neglegenda est.

tum 2 tragoediae ex 16 trag., quas tractamus in hac dissert., carent, poeta proponere solet aut ea extrema *τῶν προπεπραγμένων*, quae ipsum momentum actionis nectendae antecedunt, veluti in Medea 49 seq. aut talia, quibus facile effici potest, ut spectatores in eam animi affectationem inducantur, qua tragoedia quaedam tenetur, veluti in Phoen. 88—201. Ergo haec colloquia expositioni adiumento sunt, etiamsi nonnumquam cum actione incipienda coniuncta esse videntur. Ad quam rem demonstrandam ac probandam tamen nonnulla colloquia cum specie actionis coniuncta proferre mihi liceat. Ita v. 88 seq. Hipp., quia ibi famulus Hippolytum ad Venerem colendam adducere conatus est, cum actione coniuncti esse videntur. Tamen quoniam hi versus (88 seq.) eodem consilio ac v. 58 seq. positi sunt, ut nos in eam animi affectionem animi inducant, qua Hippolytus tota regitur, sine dubio ad expositionem sive praeparationem actionis totius fabulae referendi sunt. Deinde in Andromacha, ut exemplum alterius generis actionis prologo insertae addam, v. 56—96 Andromacha famulam ad Peleum mittit non alio consilio, quam eo, ut totius fabulae actio praeparetur (cf. v. 545 seq.), simulque ut extrema *τῶν προπεπραγμένων* huius tragoediae demonstrentur. Deinde in Heraclidis, ut tertii generis exemplum actionis prologo insertae dicam, v. 54—72 ob eam rem cum specie actionis coniuncti sunt, quia causa chori introducendi ad fabulam totam instituendam opus erat. Itaque etiam hi versus (v. 54--72) ad praeparationem totius fabulae sive ad ipsam expositionem respiciunt. Sed his satis demonstratum est, prologorum Euripideorum colloquia expositionis partem efficere, etiamsi cum spicie actionis interdum coniuncta sunt. Ceterum notandum est, nonnumquam in his colloquiis ultra extrema *τῶν προπεπραγμένων*, sane eadem condicione atque in soliloquiis procedere licere, veluti Alc. 65—71, Troad. 48—97. Etiam *τὰ ἀπὸ σκηνῆς*, quibus tertium elementum prologorum Euripideorum efficitur, expositionem quam maxime adiuvant,

quoniam iis perfacile fit, ut auditores in eam animi affectationem inducantur, qua persona primarum partium regitur. Atque ipsum μέλος ἀπὸ σκηνῆς primum ab Euripide elementum prologi sive expositionis factum esse inde verisimile redditur, quod cum apud Aeschylum pariter atque apud Sophoclem tantum in uno prologo (sc. Prom et El.) reperiatur, apud Euripidem in 6 prologis (Andr., Troad., El., Hel., Hec., Ion) invenitur. Ex hactenus dictis evincitur, Euripidem in prologi conformatione dramatica semper eam legem secutum esse, ut totus prologus tantum expositioni inserviret. Qua cum re etiam id cohaeret, quod momentum actionis nectendae, quo initium, ut a nobis explanatum est, actionis ipsius fabulae destinatur, semper post introductionem chori reperitur[171]. Atque quoniam in Hipp., Andr., Herc., Suppl., Troad., Iphig. Taur., El., Or. ad chorum introducendum tantum una parodus sufficit, id momentum statim initio primi episodii [sic Hipp. 170—524, Andr. 147—273, Herc. 138—437, Suppl. 87—364, Tr. 230—307, Iphig. Taur. 236—391, El. 215—431, Or. 208—315[172]] efficitur, quod simul initium totius actionis est. Contra in Hecuba, Ione, Phoen., Bacch., etiamsi ad chorum introducendum tantum una parodus adhibetur, tamen id momentum non prima scaena episodii primi, sed altera (sic Ion 401—451, Hec. 216—443, Bacch. 215—369) vel tertia (sic Phoen. 446—637) adducitur. Sed cum id momentum iam in prima scaena episodii primi harum tragoediarum praeparetur, pro initio actionis totius in his tragoediis initium ipsius primae scaenae episodii primi (ita in Ione v. 273, Hec. 177, Phoen. 261, Bacch. 170) habendum est.

---

[171]) De natura prologorum Euripideorum disseruerunt Arnim, l. l. p. 84, Leo l. l. p. 172—173, Wilam. Herc. II p. 9².

[172]) Status rerum primarius huius tragoediae hoc loco eo commutatur, quod Orestes adhuc dormiens expergiscitur. Similiter res se habet in Sophoclis Aiace. Aliter de hac re iudicavit de Arnim p. 99.

Deinde in Medea, Heracl., Hel. quoniam ad chorum introducendum praeter parodum etiam prima scaena episodii primi composita est [cf. Med. 214—268, Heracl. 111—119[173]), Hel. 252—385], fit, ut momentum actionis nectendae in altera scaena episodii primi (sic Medea 269 seq., Herc. 120 seq., Hel. 386 seq.) reperiatur, cuius initium pro initio totius actionis harum tragoediarum habendum esse per se intellegitur. Denique in Alcestide momentum actionis nectendae in altero episodio v. 213—434 ponendum est, cuius initium v. 213 simul initium actionis totius fabulae est, quia ad chorum introducendum praeter parodum v. 71—135 etiam totum primum episodium v. 136—219 adhibitum est[174]). Itaque excepta Alcestide Euripides momentum actionis nectendae et initium totius actionis semper in episodio primo, post introductionem chori, ponere solitus est[175]).

Ex itinere, quod per expositionem et momentum actionis nectendae collocandum confecimus, id domum reportamus, ut intellexerimus, decursu temporis prologum magis magsque in expositionem commutatum esse. Quo simul factum est, ut momentum actionis nectendae, a quo initium totius actionis, ut explanatum est, pendet, magis magîsque in primum episodium transferretur. Ita cum omnes tragoediae Aeschyleae exceptis Choephoris pari modo ac tragoediae Sophocleae vetustioris aetatis excepto Aiace et expositionem et initium totius actionis in pro-

[173]) Quod hoc loco prima scaena episodii, qua chorus per personam in actionem introducitur, tantum ex 8 versibus constat, id ei rei fortasse debetur, quod post v. 110 lacunam iam a Kirchoffiio indicatam habemus.

[174]) Epis. I Alc. (136—212) neque initium actionis fabulae neque momentum actionis nectendae continere potest, quia in eo tantum id explanatur vel dicitur, quod iam ex soliloquio Apollinis scimus, nempe Alcestidem moribundam esse. Cf. v. 19: ἣ νῦν κατ' οἴκους ἐν χεροῖν βαστάζεται ψυχορραγοῦσα.

[175]) De initio actionis in trag. Eur. statuendo disputat Arnim p. 85, 99. Cf. adn. 162 ad h. diss.

logo praebeant, tum tragoediae Sophocleae posterioris aetatis pariter ac omnes tragoediae Euripideae in prologo tantum expositionem habent, in primoque episodio excepta Alcestide momentum actionis nectendae collocant. Inde conici potest, poetas tragicos posterioris aetatis, apud quos quam maxime Euripides valebat, in universum expositionem in prologo, momentum autem actionis nectendae in primo episodio collocare solitos esse. Ad quam rem probandam tragoediae Senecae adeundae sunt. Atque primus actus, qui apud Senecam semper per primum chori canticum ab altero disiungitur, in Herc (fur.) 1—124, Med. 1—55, Troad 1—66, Agam. 1—56, Herc. Oet. 1—103 tantum ex uno soliloquio sive oratione constat, quo auditores ad actionem percipiendam praeparantur; in Phaedra primus actus incipitur a Hippolyti μέλος ἀπὸ σκηνῆς (1—84) atque per colloquium Phaedrae cum nutrice (85—274) finitur, quibus duabus partibus tantum actio fabulae praeparatur[176]); in Oedipi actu primo ad soliloquium Oedipi (1—80), quod manifesto expositionem praebet, accedit colloquium Iocastae et Oedipi (80—108), quo expositio propagatur[177]); in Thyeste actus primus praebet actionem per se positam (1—121), quae eo valet, ut nos ad ea praeparet, quae actio ipsius argumenti proponit Itaque in Senecae tragoediis actus primus, qui in universum eo prologo Euripideo respondet, qui per

[176]) Hoc colloquium inter Phaedram et nutricem v. 85—274, quod in Hipp. Eur. v. 288—360 momentum actionis nectendae praebet, eo in expositionem commutatum est, quod in eo nutrix iam amorem Phaedrae scit, longe aliter atque in Hipp. Eur., ubi nutrix primum occultum amorem Phaedrae nescit (v. 170 seq.) atque postea de eo comperit (v. 288 seq.), qua re unum τῶν ἔσωθεν fit

[177]) Ergo Seneca in transformatione Sophoclis Oedipi Regis momentum actionis nectendae e prologo Sophocleo (v. 85—150) in actum II (v. 80—108) transponit, quo actus I tantum expositionem praebeat.

choricum a solo choro cantatum a primo episodio diiungitur (de commatico Troad. Sen. iam C. II dictum est), semper, ut apud Euripidem, expositionem praebet[178]. Quod autem ad momentum actionis nectendae, quo simul initium totius actionis fabularum destinatur, in Senecae tragoediis statuendum pertinet, in Herc. (fur.), Med. Troad., Phaedra, Agam., Herc. Oet. id momentum altera scaena actus secundi [sic Herc. (fur.) v. 332 — 522, Troad. 203 seq., Phaedra 431 seq., Agam 226—309, Herc. Oet 226 seq.] efficitur. Tamen quoniam hoc momentum iam prima scaena huius actus praeparatur, initium totius actionis harum fabularum in ipso initio huius actus ponendum est: sic Herc. (f.) v. 202, Med. 110, Troad. 164, Phaedra 358, Agam. 108, Herc. Oet. 173 actio tota incipitur. Neque aliter res se habet in Thyestis actu altero v. 108—309, cum ea scaena, qua ille actus efficitur, facile in duas partes dividatur: unam v. 176 — 204, qua momentum actionis nectendae praeparatur; alteram v. 205—309, qua id ipsum momentum proponitur. Ergo tantum in Oed. momentum actionis nectendae ipsa prima scaena actus secundi v. 202—286 efficitur, cuius initium v. 202 simul initium totius actionis huius fabulae est. Itaque etiam in tragoediis Senecae pariter atque in Euripidis momentum actionis nectendae semper post primum choricum ponitur.

Priusquam ad eas progressiones, quae in tractatione et collocatione illarum partium, quibus finis δέσεως et initium λύσεως determinantur, observari possunt, nos convertamus, non abs re erit, si strictim introductionem chori perlustremus, quandoquidem in antecedentibus eam saepe ultra parodum progredi vidimus[179].

---

178) De expositione in Senecae tragoediis constituenda confer Leo, Plaut. Forsch. adn. 1 ad p. 196.

179) Parodum non tam ad prologum a primo episodio seiungendum, quam ad chorum in tragoediam introducendum com-

Atque ex tragoediis Aeschyleis Pers., Suppl , Agam., Septem (4 trag.: 57%) ad chorum in tragoediam introducendum tres partes adhibitas ostendunt: 1) choricum non strophis compositum (Pers. 1—65, Suppl. 1 — 39, Agam. 40—103, Septem 78—105), quo prior pars parodi efficitur; 2) choricum strophis compositum (Pers. 66—142, Suppl. 40—181, Agam. 104 — 269, Septem 106—164), quo altera pars parodi efficitur; 3) colloquium histrionum et chori (Pers. 143—248, Suppl. 182 —239, Agam. 270—378, Septem 165—273), quod in primo episodio positum est. Contra in Prom, Choeph. et Eum. (3 trag.: 43%) chorus per duas partes introducitur: 1) parodum ipsam (Prom. 130 — 208, Choeph. 22—82, Eum. 143—178), 2) colloquium histrionum et chori [Prom. 209—299[180]), Choeph. 83 — 210, Eum. 179—234], quod in episodio primo positum est. Atque id colloquium, de quo hoc loco sermo est, in 2 trag. (Agam. et Sept.: 30%) totum primum episodium, in 5 trag. autem (Pers., Suppl., Prom., Choeph., Eum.: 70%) tantum priorem partem episodii primi explet.

Altero loco introductio in tragoediam chori Sophoclei perspicienda est. In tragoedia Soph. vetustissima Aiace (1 trag.: $14^{2}/_{7}$%) habemus ad chorum introducendum tres partes: 1) choricum non strophis composi-

---

positam esse iam grammaticos senisse ex his locis apparet: 1) Tzetz. 35—37 ἡ πάροδος μὲν τοῖς θεαταῖς δεικνύει, δι' ἣν ἀφορμὴν ἡ χοροῦ κοινωνία ἐγγίγνεται πῶς εἰς τὸ δράματος πάθος; 2) Sch. Poet. ad C. 12 (ed. Vahlen) τῶν δὲ χορικῶν τὰ μὲν ἐστι παροδικά, ὡς ὅτε λέγει δι' ἣν αἰτίαν πάρεστιν ὡς τὸ Τύριον οἶδμα λιποῦσα.

[180]) Satis memorabile est, quod episodium II huius tragoediae v. 452 — 541 rursus ad expositionem hoc est ad τὰ προπεπραγμένα revertitur, postquam in altera parte episodii I v. 300—412 actio per chori introductionem interrupta denuo suscepta erat. Quod tantum in hac tragoedia fit, cum in ceteris actio post chori introductionem suscepta vel incepta semper procedat neque umquam ad τὰ προπεπραγμένα tractanda redeat.

tum v. 134—171, quod prior pars parodi est; 2) choricum strophis compositum v. 172—200, quod altera pars parodi est; 3) colloquium chori cum Tecmessa, quo prior pars episodii primi v. 201—332 expletur. Contra in Ant., Oed. R., Trach., Oed. Col. (5 trag.: $71^3/_7$%) ad eam rem duae partes adhibitae sunt: 1) parodus ipsa (sic Antig. 100—151, Oed. R. 150—215, Trach. 94—140, El. 121—250, Oed. Col. 117—253); 2) colloquium inter histriones et chorum iam in scaena astantem, quo prior pars episodii primi expletur [sic Ant. 155—222, Oed. R. 216—315, Trach. 141—178, El. 251—327, Oed. Col. 254—323[181]]. Tantum in una Sophoclea trag. scilicet Philoct. ($14^2/_7$%) chorus per parodum solam (v. 135—218) inducitur.

Tertio loco videamus, quot partes Euripides ad chorum introducendum adhibuerit. Atque in Alc., Med., Heracl., Hel. (4 trag.: 25%) ad eam rem adhibitae sunt duae partes: 1) parodus ipsa (Alc. 77—135, Med. 131—213, Heracl. 73—110, Hel. 179—251); 2) colloquium chori cum histrione quodam (Alc. 136—212, Med. 214—268, Heracl. 111—119, Hel. 252—385), quod in episodio primo invenitur. Atque id colloquium tantum in Alcestide totum primum episodium explet[182]), cum in ceteris ab eo totum eius prior pars occupetur. Contra in tragoediis Euripideis, quas nondum commemo-

---

[181]) Non neglegendum est, quod commaticum huius tragoediae v. 510—548 manifesto τοῖς πεπραγμένοις annectitur. Cetera enim commatica loco stasimi posita semper ab argumento episodii antecedentis pendent

[182]) Quoniam Alcestis longe omnium Euripidis tragoediarum vetustissima est, non mirum est, quod totum primum episodium chori introductionem adiuvat. Ita enim rem persaepe in tragoediis vetustioribus, quas non manu tenemus, se habuisse ex Agam. et Septem concludi potest, ubi eodem modo, ut dixi, totum primum episodium chori introductioni inservit. Aliter de hac re censuit Arnim p. 99.

ravi, ad chorum introducendum parodus una sufficit. Ita res se habet in Hipp 121—169, Hec. 98—176, Andr. 117—146, Herc. 107—137, Suppl. 42--86, Tr. 153—229, Iphig. T. 123—235, Jone 184—236[183]), El. 167—212, Phoen. 202—260, Oreste 140—207, Bacch. 64—169 (12 trag.: 75%).

Ex hactenus dictis apparet, in numero partium, quibus chorus in tragoediam introducitur, eam progressionem observari posse, ut a tribus partibus ad eam rem adhibitis, quarum primis duabus parodus, tertia autem prior pars episodii primi eficitur, ad unam partem id est ad unam parodum transeatur. Cuius progressionis finis etiam Senecae tragoediis confirmatur, in quibus ad chori in tragoediam introductionem tantum primum choricum, quod primus actus ab altero diiungit, usurpatur. Atque ipsa haec progressio manifesto inde explicatur, quod decursu temporis chori munus actionis adiuvandi imminuitur. Nam ubi chori praesentia ad actionem adiuvandam aliquid valet, ibi necesse est, ut chorus cum persona primarum partium aliquo modo coniungatur, quod optime instruitur, si chorum in priore parte episodii primi ab illa persona in ipsam condicionem, in qua versatur, introducatur; contra ubi munus chori tantum in partibus actionis histrionalis dividendis coercetur, ibi chorum eo modo, ut dixi, in actionem introduci prorsus superfluum erit. Ad

---

[183]) Cum commatica pars, qua hoc choricum concluditur, ob rationem responsionis strophicae et conexum sententiarum a partibus antecedentibus quae formam chorici a solo choro cantati praebent, non divelli possit cumque ostendat, ex quibus personis chorus tragicus constet atque quam ob rem ipse in scaena adsit, quod sane in parodo quacumque commemorandum est, necesse est, ut statuamus, hoc loco parodum partim formam χορικοῦ sc. a choro solo cantati, partim κομματικοῦ ostendere, id quod tantum in hac tragoedia accidit. Haec exceptio eo accusatur atque explicatur, quod Ioni paulo post cum Creusa congrediendum erat (v. 237).

quam sententiam probandam momentum quoddam id praebet, quod apud Senecam chorus numquam ad tempus aliquod in absentia histrionum eorum partes suscipit, ut in iis scaenis trag. Gr. fieri solet, in quibus occisiones proponuntur, etiamsi argumentum nonnullorum eius tragoediarum, veluti Medea, Agam., ad hanc rem satis proclive est.

Quod autem ad rationem pertinet, qua chori introductio cum ipsa actione evolvenda iungitur, ea prorsus ab ea re pendet, an ante eam iam actio incepta sit annon. Atque in iis tragoediis, in quibus momentum actionis nectendae, quo initium totius actionis definitur, post introductionem chori accidit, illa semper *τοῖς προπεπραγμένοις* scilicet expositioni ipsi accomodatur. Ita in Aiace cum manifesto parodus v. 134—200, qua prior pars chori introductio fit, exspositioni annectitur, quam prologus praebet, tum in priore parte episodii primi v. 201—332, qua altera pars chori introductionis efficitur, expositio huius tragoediae eo propagatur, quod ibi Tecmessa ea extrema *τῶν προπεπραγμένων*, quae ipsum initium totius actionis antecedunt, choro enarrat. De qua re cf. v. 271—276. In Medea Euripidea, ut alterius generis exemplum proferam, cum in priore parte chori introductionis id est in ipsa parodo ob planctus Medeae auditos ille et nutrix *τὰ προπεπραγμένα* perstringant, tum altera eius pars id est prior pars episodii primi v. 214—268 his ipsis eo aptatur, quod ibi Medea choro suum dolorem et animi affectionem demonstrat. In Suppl. Aesch., ut tertii generis exemplum addam, prima et altera pars chori introductionis sc. primum et alterum choricum v. 1—39, 40—181, quibus duobus parodus Aristotelica efficitur, *τὰ προπεπραγμένα* exhibent, tertia autem eius pars expositionem huius fabulae eo continuat, quod ibi Danaus ipsa extrema *τῶν προπεπραγμένων* choro enarrat. Haec tria exempla, quibus tria genera chori ante initium actionis introducendi illustrantur, ad nostram sententiam fulciendam et explicandam

satis sunt[184]).— Sed convertamus nos ad eas tragoedias, in quibus momentum actionis nectendae introductionem chori antecedit. Atque in talibus tragoediis introductionem chori eo fieri, quod statui rerum, quo momentum actionis nectendae efficitur, se applicat, facile demonstrari potest. Ita in Oed. R. cum prior pars chori introductionis, parodum dico, v. 150—215 partim τὰ προπεπραγμένα commemoret, partim ipsi momento actionis nectendae se applicet, tum altera eius pars id est prior pars episodii primi v. 216—315 eo efficitur, quod ibi Oedipo auctore chorus actionem inceptam propagat. In Agam. autem Aesch., ut alterius generis exemplum depromam, cum duae priores partes chori introductionis v. 40 — 103, 104—269, quibus duabus parodus Aristotelica efficitur, partim τὰ προπεπραγμένα, partim eum statum, qui a momento actionis nectendae pendet, spectent (cf. v. 83 seq.), tum in tertia eius parte id est in toto primo episodio v. 270—378 chorus in actionem per Clyt. eo inducitur, quod ei illa ea commutationem status primarii enarrat, qua momentum actionis nectendae v. 22 — 39 adducitur. His duobus exemplis, quibus duo genera chori post initium actionis introducendi illustrantur, nostra sententia satis explanata et confirmata est. Tantum Sophoclis Antigona ab ea discrepare videtur, quia ibi, etiamsi chori introductio post momentum actionis nectendae fit, tamen neque parodus v. 150—154 neque prior pars epis. primi v. 155—222, qua chorus in actionem per Creontem introducitur, illi momento se applicat, sed tantum τὰ προπεπραγμένα huius dramatis perstringunt. Quae res inde facillime explicatur, quod neque chorus neque Creo, qui eum in actionem introducit, eam rem (v. 1 — 39) scire possunt, qua initium actionis huius fabulae adducitur.

---

[184]) Non male igitur Wilamowitzius in Herc. I, p. 118[a] de Hercule Euripideo dixit: „Prolog und Parodus, welche die Exposition geben".

Introductione chori pertractata tempus est, ut videamus, quas progressiones in tractatione illarum partium, quibus finis *δέσεως* et initium *λύσεως* definiuntur, deprehendantur. Tamen quoniam tragoediarum in *δέσιν* et *λύσιν* partitionem a *μετάβασις τῆς πράξεως* pendere in C. III h. diss. indicatum est, non abs re erit, si ipsi tractationi illarum partium aliquid de origine *μεταβάσεως* praemittamus.

Atque si eas vetustissimas tragoedias, quae non in historia heroica versabantur, in censum vocamus, fieri non potest, quin eis metabasin abiudicemus. Ita in Phryn. Phoen., cum in earum initio clades Persarum ab eunucho quodam enarrata sit, unde prima occasio chori *πρεσβυτῶν* canendi et lamentandi orta erat, cumque in sequentibus aliae personae eo casu afflictae in scaenam prodientes per suam orationem sive colloquium cum choro id est coryphaeo alias occasiones canendi eo ipsi obtulerint, status rerum per totam tragoediam unus idemque, etsi per varias personas vario modo illustrabatur, permanere videtur. Neque multo aliter res se habet in Aesch. Pers., in cuius primo episodio statim postquam nos poeta per somnium Atossae (v. 143 — 248) ad cladem Xerxis recipiendam praeparaverat, eam ipsam per nuntii verba (v. 249 — 550) proposuit ac descripsit. Nam in sequentibus status rerum, quem haec clades adducit, non commutatur, sed tantum affectus timoris et miseriae, quos illa excitavit, per Darei vaticinia (v. 683 — 853) et per adventum ipsius Xerxis amplificantur atque augentur. Itaque tragoedia eo, quod historiam aetatis aequalis tractabat, cum unus idemque status rerum ab ipso principio usque ad finem eam obtineret, vix ad metabasin pervenire potuit.

Longe aliter res se habet in iis tragoediis, quae in

---

185) . . . πλὴν ἐκεῖ (sc. in Phrynichi Phoenissis) εὐνοῦχός ἐστιν ἀγγέλλων ἐν ἀρχῇ τὴν Ξέρξου ἧτταν . . . (argum. Aesch. Pers.)

historia heroica versabantur. Nam illa persaepe heroas, in angustias, quibus eorum fortuna necessario commutatur, cogit, quo eorum vis in dolore ac labore ferendo appareat. Atque iam Phrynichi Alcestis, ut tragoedia, quae in vita heroum versatur, fortunae commutationem in certamine inter Herculem et Mortem praebuisse videtur [186]. Metabasis igitur, quae in tragoediis posterioris aetatis necessaria pars actionis tragicae est, quam maxime ei rei debetur, quod iam ante Aeschylum tragoedia praecipue in heroum historia ac sorte versari inceperat[187]. Sane uno histrione agente fieri non potuit, ut metabasis dramatice id est per actionem proponeretur, sed tantum per *ἀπαγγελίαν*. Ut metabasis dramatice institueretur, sicuti im Suppl. Aesch. 921 seq, duo saltem histriones necessarii erant. Ergo inde ab Aeschylo, qui alterum histrionem introduxerat, fieri potuit, ut metabasis dramatice id est per actionem proponeretur. Tamen etiam altero tertiove histrione addito ea pars *μεταβάσεως*, quae aut extra locum, quem scaena denotabat, fieri debebat, aut in scaena fieri non licebat, per *ἀπαγγελίαν* in tragoediam inferre poetae solebant, ut in Septem 777—816, Oed. R. 1223—1296, Hipp. 1151—1267 et alias res se babet.

Origine metabaseos explicata revertamur ad illas duas partes, quibus finis *δέσεως* et initium *λύσεως* definiuntur, perspiciendas. Atque finem *δέσεως* id *μέρος*, quo momentum fortunae convertendae efficitur, initium autem *λύσεως* ipsam *ἀρχὴν τῆς μεταβάσεως*, hoc est initium conversionis ipsius fortunae, esse iam exemplis C. III h. diss. allatis demonstratum est. Restat igitur, ut hoc loco has duas partes e singulis tragoediis enucleatas certo

---

186) De argumento Alcest Phryn. vide Wilam. Herc. I, p. 92¹.

187) Wilam. Herc I, p. 93¹: „Und er (sc. Aischylos) gab dem Bocksgesang die Heldensage zum Inhalt: damit war das Tragische gefunden".

ordine proferamus. Unde sane ultro apparebit, quae progressiones in tractatione earum partium lateant.

Incipiamus ab Aeschylo. In tragoediis eius, ut iam explanatum est, Persae metabasin non habent, ergo in iis neque id *μέρος*, quo momentum fortunae convertendae efficitur, neque *ἀρχὴ τῆς μεταβ.* invenitur. In ceteris sex tragoediis, cum metabasis insit, hae duae partes quibus versibus efficiantur, tabula sequente demonstratur:

Trag.	μέρος, quo momentum fortunae convertendae efficitur.	ἀρχὴ τῆς μεταβ.
Suppl.	832— 921 scaena I exodi	922— 964 sc. II exodi
Prom.	939— 972 " "	973—1113 " "
Septem.	640— 706 epis. II (1 scaena).	777— 816 epis III
Agam.	1056—1329 scaena II exodi	1342—1370 sc. III exodi
Choeph.	837— 866 scaena I epis. III	867— 873 sc. II ep. III
Eum.	569— 780 epis. III (1 scaena)	797 seq. sc. I exodi[188])

Itaque e sex tragoediis *μετάβασιν* habentibus quattuor: Suppl., Prom., Agam., Choeph. ($66^2/_3$%) hoc *μέρος* ab initio conversionis fortunae non per choricum; duae autem: Septem et Eum. ($33^1/_3$%) per choricum disiungunt. Atque tres: Suppl., Prom., Agam, (50%) illud *μέρος* in ultima parte; duae: Choeph. et Eum. ($33^1/_3$%) in paenultima parte; una: Septem ($16^2/_3$%) in tertia a fine parte actionis histrionalis collocant. Praeterea non omittendum est, quod id *μέρος* in omnibus Aeschyli tragoediis ex una scaena constat, quae in universum accessioni unius rei ad antecedentia respondet[189]). Ergo illa pars, qua momen-

[188]) Is quem verba Wilamowitzii non fugerunt: „Daher ist die Hauptsache in diesem Drama nicht das Urteil über Orestes, sondern die Versöhnung der Rächerinnen (Einleitung zu den Eum., p. 246[2])", non mirabitur, quod v. 569—780 vel rectius v. 755 — 780 pro illo μέρος ὅ ἔσχατόν ἐστιν etc., v. 797 seq. autem pro ἀρχὴ τῆς μεταβ. habeo.

[189]) Sic in Septem hoc μέρος v. 640—706 in ea una re versatur, quod Eteocles verbis nuntii permotus cum ipso fratre

tum fortunae convertendae efficitur, apud Aeschylum satis simplicem se praebet.

Altero loco videndum est, quam rationem Sophocles in collocatione harum duarum partium secutus sit. Quo modo res in singulis eius tragoediis se habet, docet tabula apposita:

Trag.	μέρος, quo momentum fortunae convertendae efficitur.		ἀρχὴ τῆς μεταβ.	
Aiax	719— 814	sc. I et. II epis. III	815 -- 865	sc. III ep. III
Antig.	988—1114	epis. IV (2 scaenae)	1155—1179	sc. I exodi
Oed. R.	1110—1185	„ (1 scaena)	1223—1296	„ „
Trach.	663— 820	„ (2 scaenae)	863— 946	epis. V.
Electra	1098—1383	„ „	1398—1423	sc. I exodi
Philoct.	855—1080	epis. III „	1218—1260	„ „
Oed Col.	1447—1555	sc. II et III epis. V	1579—1669	„ „

Itaque tantum in una Sophoclis tragoedia et quidem vetustissima, Aiace, ($14^2/_7$%) inter hoc *μέρος* et *ἀρχὴν τῆς μεταβ.* nullum choricum intercedit, cum in ceteris sex tragoediis ($85^5/_7$%) id *μέρος* ab initio conversionis fortunae per choricum separatum sit[190]). Quod autem ad ipsam collocationem ipsius *μέρους* pertinet, id *μέρος* in

dimicaturus scaenam relinquit, unde ea commutatio eius fortunae redundat, quam v. 777 — 816 nobis proponunt; in Agam hoc μέρος v. 1056—1329 tantum in una re id est in vaticiniis Cassandrae ad sortem eius ipsius et Agamemnonis pertinentibus positum est, quibus poeta nos ad ipsam ἀρχὴν τῆς μεταβ. v. 1342—1370 praeparat, quae in occisione Agam. a Clyt. perpetrata versatur; in Eum. hoc μέρος v. 569 — 780 tantum ex una re constat scilicet liberatione Orestis, unde ea commutatio fortunae Eumenidum defluxit, quae a v. 797 incipitur.

190) Non omittendum est, quod in omnibus tragoediis, in quibus nonulli viri docti secundam actionem statuunt, veluti in Aiace (1047 seq.), Hercule (814 seq.), Andromacha (879 seq.), Hecuba (657 seq. vel rectius 724 seq.), ea semper ab illo μέρος pendet, quod actione prima adducitur. Quo fit, ut in his tragoediis inter primam et secundam actionem eadem ratio intercedat atque inter δέσιν et λύσιν unius eiusdemque actionis.

Aiace et Trach. (2 trag.: $28^4/_7$%) in tertia a fine parte; in ceteris, nempe Antig., Oed. R., El., Phil., Oed. Col. (5 trag.: 71 $^3/_7$%) in parte paenultima actionis hisrionalis reperitur. Atque id μέρος in sex (Aiac., Ant, El., Phil, Tr., Oed. Col.: $85^5/_7$%) tragoediis efficitur duabus scaenis, quae in universum accessionem duarum rerum ad antecedentia repraesentant[191]). Tantum in una trag., Oed. R. ($14^2/_7$%), hoc μέρος ex una scaena constat, quae accessionem tantum unius rei ad antecedentia praebet[192]).

Tertio loco expositurus sum ea, quae ad collocationem eandarum partium in tragoediis Euripideis pertinent. Atque ex iis tragoediis tantum Troades nullam metabasin exhibent, cum in ea tragoedia usque ad finem status rerum, quem initium actionis v. 230—307 ponit, etsi vario modo illustratur, tamen in universum immutatus parmaneat. In

---

[191]) Ut nostram sententiam explicemus, satis erit, si videamus, quo modo res se habeat saltem in Antigona et Oedipo Coloneo. Atque in Antigona ἡ ἀρχὴ τῆς μεταβ. hoc est occisio Haemonis ab eo ipso ante oculos patris perpetrata v. 1155—1179 praeparatur non solum scaena eam ipsam antecedente v. 1091—1114, sub cuius fine Creo choro consulente ad Antigonam liberandam se confert, sed etiam scaena ab ea altera v. 988—1090, in qua Tiresias eo permotus, quod frustra Creontem consuluit, ut Polynicem sepeliret Antigonamque liberaret, ei infortunium imminens pronuntiat: ergo duabus scaenis huius tragoediae momentum fortunae convertendae adducitur. In Oedipo autem Coloneo ἡ ἀρχὴ τῆς μεταβ. v. 1579—1669 hoc est ipse exitus Oedipi e vita manat non solum e scaena eam antecedente v. 1500—1555, in qua Oedipus Thesea secum habens moriturus e scaena abscessit, sed etiam e scaena ab ea altera v. 1447—1499, in qua tonitrua Iovis Oedipo tempus doloris finiendi hoc est moriendi prope esse nuntiant, ob quam causam ille Thesea ad se vocat: itaque ipsum μέρος ὅ ἔσχατόν ἐστιν etc. huius tragoediae duabus scaenis efficitur.

[192]) Ipsa scaena, de qua hoc loco dicitur, est v. 1110—1185 Oed. R., in qua per accessionem famuli Lai ad Oedipum et nuntium Corinthii accessio unius novae rei ad antecedentia, scilicet anagnorismus Oedipi ipsius, efficitur, in quo momentum eius fortunae convertendae ponendum est.

ceteris 15 tragoediis, cum metabasin habeant, *μέρος*, quo momentum fortunae convertendae efficitur, pariter atque *ἀρχὴ τῆς μεταβ.*, qua initium commutationis fortunae proponitur, distingui potest. Atque tabula hic apposita has duas partes singularum tragoediarum profert.

Trag.	μέρος, quo momentum fortunae convertendae efficitur.	ἀρχὴ τῆς μεταβ.
Alc.	773—860 sc. V et VI ep. VI[193]	1006 seq. initium exodi
Med.	866—975 epis. III (1 scaena)	1002 seq. I sc. epis IV
Hipp.	776—1001 „ (3 scaenae)	1151 seq. „ „
Hecuba	657—904 „ „	905—951 „ „
Andr.	493—765 „ „	801—1008 „ „
Heracl.	630—747 „ (4 scaenae)	784—891 „ „
Herc.	701—762 „ (2 scaenae)	814—1015 „ „
Suppl.	634—777 „ (1 scaena)	794—954 „ „
Iph. T.	658—1088 „ (2 scaenae)	1152—1233 „ „
Jon	725—1047 „ (1 scaena)	1106—1228 „ „
Electra	747—858 „ (2 scaenae)	880—1146 „ „
Hel.	1165—1300 „ [2 sc.][194]	1369—1450 „ „
Phoen	834—1018 „ (3 scaenae)	1067—1283 „ „
Or.	844—1315 „ (7 scaenae)	1366—1536 „ „
Bacch.	676—861 „ (4 scaenae)	912—976 „ „

Itaque in omnibus Euripideis tragoediis metabasin habentibus id *μέρος*, quo momentum fortunae convertendae efficitur, ab initio solutionis per choricum segregatur. Atque excepta una tragoedia, hoc est Alcestide ($6^2/_3$%),

[193]) In hac tragoedia inter finem illius μέρος ὅ ἔσχατόν ἐστιν etc., v. 860 et ipsam ἀρχὴν τῆς μεταβ. v. 1006 seq. praeter stasimum ultimum v. 962—1005 intercedit etiam scaena v. 861—961, quae tamen tantum ad scaenicam praeparationem τῆς ἀρχῆς τῆς μεταβ. posita esse videtur. Ibi (v. 861 seq.) enim Admetus et chorus, qui v. 734—746 scaenam reliquerunt, re perpetrata in eam reverti debebant, quo Hercules Alcestidem ducens ad ipsum Admetum accedere potest

[194]) Actio tota huius fabulae non in anagnorismo Helenae et Menelai, sed in eo, quod Theoclymenus dolo eorum capitur, ponenda est. Ergo aliter res se habet in Iphig. Taur., quamquam similitudo quaedam inter eam et Helenam intercedit, cum in Iphig. Taur. tota actio in anagnorismo inter Orestem et Iphig. e sententia poetae versetur.

ubi id *μέρος* in paenultima parte, *ἀρχὴ* autem *τῆς μεταβ.* in ultima parte actionis histrionalis reperitur, omnes ceterae tragoediae (14 trag.: $93^{1}/_{3}\%$) id *μέρος* in tertia a fine parte, *ἀρχὴ* autem *τῆς μεταβ.* in parte paenultima actionis histrionalis exhibent. Atque ipsum *μέρος*, quo momentum fortunae convertendae efficitur, satis implicate ab Euripide compositum esse videtur. Ita id *μέρος* in 7 tragoediis (id est $46^{9}/_{15}\%$ omnium eius tragoediarum metabasin habentium), nempe Hipp., Hec., Andr., Heracl, Phoen., Or., Bacchis, constat e tribus vel pluribus scaenis, quibus accessio totidem rerum ad antecedentia respondet; in 5 tragoediis (id est 30% omnium Eur. trag.), nempe Alcest., Herc., Iph. T., El., Hel., per duas scaenas, quibus duae accessiones rei novae ad antecedentia fiunt, adducitur[195]). Ergo tantum in 3 trag. ($23^{9}/_{15}\%$) sc. Medea,

---

[195]) Quae verba ut illustrarem, elegi duas Euripideas tragoedias Hippolytum et Bacchas. Atque in Hippolyto manifesto ἡ ἀρχὴ τῆς μεταβ. v. 1151 seq. efficitur, in quibus famulus enarrat, quo modo Neptunus ob preces Thesei Hipollytum patriam suam ut exulem relinquentem perdiderit. Quae ἀρχὴ τῆς μεταβ. pendet non solum a scaena eam antecedente v. 902—1101, in qua Theseus Hippolytum e patria exire iubet, sed etiam a scaena hanc antecedente v. 709—901, in qua Theseus litteris Phaedri permotus in caput Hippolyti iram Neptuni detestatus est, ad quam rem instituendam sine dubio scaena ei praemissa v. 776—789, in qua Phaedrae nutrix illam vitam finisse ex interiore parte regiae nuntiat, necessaria erat. Ergo illud μέρος, ὃ ἔσχατόν ἐστιν etc. huius tragoediae ex tribus scaenis constat, in quibus manifesto, ut demonstravimus, tres accessiones unius novae rei ad antecedentia, scilicet mors Phaedrae, detestatio patris, exilium Hippolyti, proponuntur. Postquam Hippolyto defuncti sumus, convertamus nos ad Bacchas. Atque huius tragoediae episodii III prima et altera scaena v. 576—641, 642—659, quarum utraque pariter in eo versantur, quod Bacchus e regia Penthii, quam ipse corruit, se liberavit, quam maxime eo consilio scriptae sunt, ut pastor tertiae scaenae huius episodii v. 669—786 praesente Baccho ea miracula, quae sectatores dei novi effecerunt, Pentheo enarrare posset. Necesse enim erat, ut Bacchus videret, quo modo eum narratio

Suppl., Jone, id μέρος una scaena efficitur. Tamen in ea perfacile duae vel tres partes, quod ad totidem accessiones alicuius novae rei ad antecedentia pertinet, distingi possunt[196]. Atque cum hoc μέρος, quo momentum fortunae convertendae efficitur, apud Euripidem excepta Alcestide semper ab utraque parte duabus Aristotelicis partibus actionem histrionalem continentibus circumdetur, satis verisimile est, expositionem hoc est prologum Aristotelicum non tam fundamentum δέσεως, quam funda-

---

pastoris afficeret. Atque cum ille narratione perfecta Pentheum adversus sectatores suos proeliari velle (cf. 778—785) vidisset, decrevit in animo suo, ut eum feminis bacchantibus ad interficiendum traderet (vide v. 847—861, qui cum v. 50—52 conferendi sunt), propterea que in scaena quarta huius episodii v. 786—861 eum eo adduxit, ut femineis vestibus indutus ipse feminas bacchantes explorare vellet, ex qua re manifesto ipsa conversio eius fortunae emanat. Itaque cum hae quattuor scaenae, quas commemoravi, artissime inter se cohaereant, simulque ex ultima earum ipsa conversio fortunae profluit, fit, ut iis quattuor scaenis illud μέρος, ὃ ἔστχατόν ἐστιν etc. efficiatur. Atque episodium IV huius tragoediae v. 912—976 praebet manifesto τὴν ἀρχὴν τῆς μεταβ., quia ibi mens Penthei ad eius ipsius interitum iam obscurata est (cf. v. 850 seq.).

196) Sic in Medea illa scaena v. 866—975, qua momentum fortunae convertendae efficitur, facile in duas partes dividitur: unam v. 866—933, in qua Medea cum Iasone reconciliatur; alteram v. 934—975, in qua Medea Creusae per liberos munera mittit.— Deinde in Suppl. prior pars eius scaenae, qua epis. III expletur, v. 634—749 demonstrat, quo modo Theseus Thebanos ad mortuos tradendos coegerit; altera pars v. 750—777 docet eorum corpora mox matribus ipsis tradenda esse, quam rem ἡ ἀρχὴ τῆς μεταβ. v. 794—954 praeparatur. Atque hae duae res illud μέρος ὃ ἔσχατόν ἐστιν ἐξ οὗ etc. efficiunt.— Denique in Ione ea scaena v. 725—1047, qua momentum fortunae convertendae adducitur, perfacile in tres partes, cum in ea accessio trium rerum ad antecedentia percipiantur, dividi potest. Quarum prima pars v. 725—859, altera v. 810—977, tertia v. 978—1047 efficitur. Ipsa autem ἀρχὴ τῆς μεταβ. ex ultima parte 978—1047 manat.

mentum actionis totius fabulae e sententia ipsius poetae efficere.

Collocatione ac tractatione eius μέρους, a quo ἀρχὴ τῆς μεταβ. pendet, apud tres poetas Graecos perspecta fieri non potest, quin in ea triplicem progressionem deprehendamus. Atque una progressio tendit ut id μέρος decursu temporis magis magisque ab initio solutionis, quod Aristoteles ἀρχὴν τῆς μεταβ. vocat, per choricum disiungatur: ita, ut iam vidimus, in $33^1/_3\,\%$ tragoediarum Aeschylearum, in $85^5/_7\,\%$ Sophoclearum, in $100\,\%$ Euripidearum id μέρος ab ea parte, qua ἀρχὴ τῆς μεταβ. proponitur, per choricum disiunctum est. Altera progressio in eo observatur, quod id μέρος decursu temporis magis magisque ab ultima parte actionis histrionalis in tertiam a fine transire studet: ita, ut iam explanavi, in $50\,\%$ trag. Aeschylearum id μέρος in parte ultima, in $71^3/_4\,\%$ Sophoclearum in parte paenultima, in $93^1/_3\,\%$ Euripídearum in parte tertia a fine collocatur. Tertia progressio in eo animadvertitur, quod decursu temporis id μέρος ab una scaena magis magisque in tres vel plures scaenas inter se pendentes se porrigere et amplificare studet: ita, ut iam demonstratum est, id μέρος in $100\,\%$ tragoediarum Aeschylearum ex una scaena, in $85^5/_7\,\%$ Sophoclearum ex duabus scaenis, in $76^6/_{15}\,\%$ Euripidearum e tribus vel pluribus scaenis constat. Ergo decursu temporis id μέρος, quo momentum fortunae convertendae adducitur, magis magisque in partem per se positam se convertit, qua tota actio in duas inter se fere pares partes dividitur, quarum prior tota illud μέρος efficere studet, altera autem ex eo ipso emanat.

Cum apud Euripidem id μέρος, quod momentum fortunae convertendae continet, tertiam a fine partem actionis histrionalis occuparet, non est mirum, quod actus tertius fabularum e doctrina quinque actuum, ut testimonia ad eam pertinentia aperte docent, ipsum fastigium

totius actionis continere debet[197]). Quam sententiam ut probabiliorem reddamus, ea re optime efficitur, quod ex 7 Senecae tragoediis: Herc. (fur.), Troad, Med., Phaedra, Agam., Thyest., Herc. Oet., in quibus manifesto e doctrina quinque actuum totidem actus habemus, 5 trag. ($71^3/_7{}^0/_0$): Herc. (fur.), Medea, Phaedra, Thyestes, Herc. Oet. id μέρος aperte in actu tertio collocant, cum in ceteris 2 trag.: Troad. et Agam. ($28^4/_7{}^0/_0$) res non satis perspicua sit[198]). Itaque per doctrinam quinque actuum factum est, ut id μέρος totam actionem in duas partes inter se pares dividens ab utraque parte pari numero partium actionis histrionalis hoc est duobus actibus circumcluderetur, quod certe in iis Euripideis tragoediis, in quibus prologus a primo episodio per choricum actionem histrionalem interrumpens disiungitur (atque ita res se habet, ut sub fine C. II h. diss. demonstravi, in $56^1/_4{}^0/_0$ omnium tragoed. Eurip.), nondum factum erat. Nam in iis tragoediis id μέρος ab una parte tribus partibus actionis histrionalis, ab altera parte duabus partibus circumdatum est. Unde facile quispiam credere potuit, doctrinam

---

197) Leo, Plaut Forsch. p. 208 adn. 1: „Es gehört wohl zur Theorie von 5 Akten, dass der dritte die Höhe des Stückes bildet und die 4 andern sich zu gleichen Teilen um ihn gruppieren." Ipsa testimonia ad eam rem pertinentia invenies ibidem p. 207 seq.

198) In Senecae Troadibus cum actio totius fabulae pariter in commutatione fortunae Polyxenae atque Astyanactis versetur (cf. v. 360—370), tum actus III huius trag. momentum fortunae Astyanactis commutandae, actus IV Polyxenae praebet.— In Agam. autem quoniam non in ipso initio tragoediae, ut apud Aeschylum res se habet, Troiam captam esse nuntiatur atque occisio ipsius Agamemnonis secus atque apud Aeschylum in scaena non profertur, necesse est, ut eo loco, quo Troiam captam esse Agamemnonemque mox in patriam reversurum esse nuntiatur, ipsum momentum eius fortunae commutandae positum esse statuamus Quod si verum est, etiam in Agam. actus III momentum fortunae convertendae exhibet.

quinque actuum ipsum ultimum ac naturalem finem eius progressionis, quae in collocatione et tractatione eius μέρους ostenditur, repraesentare[199]). Tamen quominus id credam, cum id obstet, quod Aristoteles ipsam doctrinam, ut e C. 12 A. P. apparet, ignoret, tum illa vis, quae e doctrina quinque actuum actui tertio tribuitur, aliquo modo cum C. 18 A. P. cohaerere videtur. Immo vero sectator quidam Aristotelis sive eius Artis Poeticae eam in δέσιν et λύσιν partitionem dramaticam, quam C. 18 praebet, in tragoediis Euripideis eo consilio adhibens, ut aliquam rationem inter eam et numerum singularum partium actionis histrionalis constitueret, facile eo pervenire potuit, ut id μέρος, quo e sententia Aristotelica δέσις definitur, ut pars per se posita, quam tota actio antecedens efficere studet undeque tota actio sequens pendet, ab ipsa δέσει separaret, ob eamque causam, cum hoc μέρος apud Euripidem excepta Alcestide semper in tertia a fine parte actionis histrionalis positum esset, ab utraque parte duabus partibus actionis histrionalis circumcludendum esse statueret, qua cum re simul ipsam doctrinam actuum in tragoediis constitutam esse non incredibile est. Quod si verum est, pro termino, post quem doctrina quinque actuum constituta ac pervulgata erat, annus 332 a. Chr. n. habendus est, quo tempore Aristotelem librum suum de Arte Poetica conscripsisse verisimile est. Atque si porro quaerimus, quod tempus post hunc annum huius doctrinae constituendae ac pervulgandae opportunissimum fuerit, fieri non potest, quin pro tali tempore aetatem Ptolomaei Philadelphi ut regis Aegypti 285—246 a. Chr. n. habeamus, quo tempore tragoediam iterum effloruisse constat[200]). Quae sen-

199) Leo, Plaut. Forsch. p. 208 — 209: „Damit ist die Möglichkeit gegeben, dass die 5 Akte in der Tat eine Entwicklungsphase des Dramas selbst bedeuten, in der es sich auf 3 Epeisodia als Regel beschränkt und eine symmetrische Gliederung mit parallelen Abschnitten gegeben hätte".

200) Ussing, Proleg. Plaut. p. 165: „Alexandriae illa lex

tentia etiam eo confirmari videtur, quod fabula Nauplii, quam Hero Alexandrinus ad theatrum automaticum illustrandum in libro II τῶν Αὐτοματικῶν protulit, ex 5 partibus sive actibus constat, in qua divisione manifesto Philo Byzantinus, a quo ille, ut e C. 1, 4 patet, hanc fabulam petit, usum tragoediae saeculi tertii imitatus est[201]). Huc accedit, quod Porphyrio in comm. ad A. P. Horatii haec adnotat: „congessit (sc. Horatius) praecepta Neoptolemi τοῦ Παριανοῦ de arte poetica non quidem omnia, sed eminentissima". Ergo fieri potuit, ut etiam verba Horatii 189—190 A. P. „neve minor neu sit quinto productior actu fabula, quae posci volt et spectanda reponi" ad ipsum Neoptolemum ergo ad exitum saeculi tertii a. Chr. n. respiciant[202]).

Num in doctrina quinque actuum constituenda praeterquam, quod μέρος momentum actionis convertendae continens apud Euripidem in universum in tertia ab ultima parte actionis histrionalis collocatur, etiam id in censum vocatum sit, quod id μέρος iam in $43^{3}/_{4}\%$ eius tragoediarum, quarum prologus et primum episodium per parodum commaticam, ut sub fine C. II h diss. demonstratum est, in unam partem actionis histrionalis comprehenduntur, ab utraque parte duabus partibus act. histr.

---

nata esse videtur, quae unamquamque tragoedi m quinque actus habere iubet, ac si extarent illae fabulae, quas Πλειὰς Alexandrina reliquerat, in iis sine dubio accurate observat m legem inveniremus".

[201]) Cf. V. Prou, le théâtres d'automates en Grèce, in Mémoires présentés par divers savants à l'académie (1881) 1884, IX. p. 117 seq., 152, 215; Weil Journ. des Sav. 1882, p. 418; Leo, Plaut. Forsch p. 208.

[202]) Kiessling. Horatius Flaccus III, p 222¹: „Der Peripatetiker Neoptolemus aus Parion, gegen das Ende des dritten Jahrhunderts (Meineke, Anal. Alex p. 357; Wil. Antigonos p. 154), Grammatiker und Dichter, wird die kanonischen Lehren seiner Schulhäupter Aristoteles und Theophrast in poetischer Form popularisiert haben".

circumcluditur, satis dubium esse videtur, quia inter tragoedias Senecae, quae quinque actus praebent, et eas Euripideas, quibuscum illae conferendae sunt, differentia quaedam in conformatione primi actus sive primae partis actionis histrionalis percipitur. Quae in eo posita esse videtur, quod apud Senecam primus actus per ipsam parodum determinatus tantum expositionem exhibet, contra apud Euripidem prima pars actionis histrionalis parodum commaticam ostendens et expositionem et initium actionis totius fabulae continet. Inde sane concludere licet, in doctrina quinque actuum constituenda tantum id, quod illud μέρος apud Euripidem in tertia a fine parte actionis histrionalis reperitur, neque id, quod illud μέρος iam apud Euripidem in $43\,^3/_4\,^0/_0$ tragoediarum re vera per duas partes actionis histrionalis circumclusum erat, valuisse. Ad quam sententiam confirmandam etiam id momentum afferre potuit, quod apud Senecam parodus commatica Troad. 67 — 163 ad duas partes actionis histrionalis sive ad duos actus disiungendos valet longe aliter atque apud Euripidem, apud quem illa semper prologum et primum episodium in unam partem actionis histrionalis coniungit. Tamen non praetermittendum est, quod Seneca hanc commaticam parodum longe aliter atque Euripides tractaverat, unde sine dubio diversa vis parodi commaticae apud Senecam et Euripidem explicatur. Nam cum apud Senecam illa persona, cui parodi conformatio commatica debetur, sc. Hecuba statim parodo finita v. 163 scaenam relinquat neque in sequente parte actionis histrionalis v. 114—370 agat, fit necessario, ut continua actio personarum statim post parodum v. 163 interrumpatur, ob eamque causam „prologum" et „parodus commatica" unam partem, „primum" autem „episodium" alteram partem per se positam repraesentent; contra cum apud Euripidem persona, cuius praesentia parodus commatica fit, et in prologo et in primo episodio agat, fit ultro, ut illae tres partes unam partem actionis

histrionalis efficiant. Quae cum ita sint, Seneca sub fine parodi v. 164 Hecubam consulto scaenam relinquentem fecisse videtur, quo parodus commatica apud eum aliter atque apud Euripidem priorem partem ab altera actionis histrionalis disiungeret. Ob eam rem fortasse conicere licet, in forma primaria actuum primum actum talem commaticam parodum, qualem Euripideae tragoediae habent, continuisse atque exhibuisse et expositionem et initium actionis, tantumque decursu temporis factum esse, ut in quinque actibus primus et alter actus sibi eam dramaticam conformationem vindicarent, quam tragoediae Senecae quinque actus habentes pari modo atque tragoediae Euripideae e sex partibus actionis histrionalis constantes praebent, in quibus cum parodus, ut choricum a choro solo cantatum, actionem histrionalem interrumpat, prima pars actionis histrionalis ei praemissa expositionem, altera pars autem ei postposita initium actionis exibet. Quae coniectura quam maxime Rheso fulcitur, cuius tragoediae poeta cum ante Aristarchum Cratetemque vixerit (id apparet ex eius argumento), simulque doctrinam quinque actuum secutus est, ad aetatem pleiadis tragicorum Alexandrinorum referendus est[203]. Nam haec tragoedia, ut tradita est, praebet parodum commaticam (v. 1-84) ut partem actus primi (v. 1—223), quia ibi ea persona sc. Hector, cui conformatio commatica parodi debetur, etiam parodo finito v. 84 porro in scaena agit, simulque ipse primus actus huius tragoediae (v. 1—223) praeter expositionem, quae in parodo commatica posita est (v. 1—84), continet etiam initium totius actionis (v. 85—148) per adventum Aeneae ad Hectorem adductum[204].

[203]) Quod ad tempus Rhesi conscribendi attinet, idem atque ego iam God. Hermannus Opusc. III p. 279 censuit. Contra Wilamowitzius (Herc. I p. 41¹, Anm. 81; de Rhesi scholiis p. 12) hanc tragoediam circa Demosthenis aetatem ex imitatione cum Sophoclis tum Euripidis Athenis ortam esse persuasum habet.

[204]) Rhesus per 4 chorica actionem histrionalem inter-

Ceterum posteriore tempore praeter eam formam quinque actuum, quam Senecae tragoediae et Anonymi Rhesi praebent, etiam in usu erat forma tradoediae sex actuum sive sex partium actionis histrionalis, ut eam Euripides conformavit. Id apparet e Senecae Oedipo, quae sex actus praebet. Nam in hac tragoedia Seneca momentum actionis nectendae, quod apud Sophoclem in prima parte actionis histrionalis (Oed. R. 85—150) invenitur, in alteram partem sive alterum actum v. 202 seq. transtulit, quo prima pars actionis histrionalis tantum expositionem contineret, ut in tragoediis Euripideis sex partes actionis histrionalis praebentibus res se habet; tum momentum fortunae convertendae a parte paenultima actionis histrionalis, ubi apud Sophoclem positum est (Oed. R. 1121—1185), in actum ab ultimo tertium (v. 845 seq.) transposuit, quo id momentum ab utraque parte duabus partibus actionem continentibus pariter atque in tragoediis Euripideis sex partes actionis histrionalis habentibus circumcluderetur. Iam ex hac re satis apparet, totam progressionem conformationis dramaticae tragoediarum Graecarum in Euripide constitisse neque ad doctrinam quinque actuum tragoediarum Graecarum post eum ultro perveniri potuisse, nisi eam doctrinam poeta sive grammaticus, qui vias Aristotelicas sectabatur, arbitrario modo ipsi tradoediae imposuisset.

---

rumpentia: 224—261, 342—379, 527 — 564, 692—727 in 5 actus dividitur. In primo actu v. 1—84 expositionem praebent, v. 85 autem iuitium totius actionis est, quia inde ea scaena incipitur v. 85—152, qua ipsum momentum actionis nectendae per Dolonem adductum v. 153—223 praeparatur. In actu II (262—341) verba nuntii adventum ipsius Rhesi praeparant. In actu III (380—526) per accessum Rhesi ad Hectorem fastigium totius actionis effectum esse videtur, quia eius adventu fundamentum solutionis, quae in occisione ipsius Rhesi versatur, iactum est. Atque actus IV (565—691) re vera τὴν ἀρχὴν τῆς μεταβ., quatenus illa ad sortem Rhesi pertinet, praebet. Itaque actus V (728—996) altera pars actionis solutae est.

Atque ille, qui longe postquam doctrina quinque actuum in usu erat, eam tripertitam divisionem, quam sub fine C. III h. diss. indicavi, invenit, ipsam illam eatenus imitatus esse videtur, quatenus apud eum media pars actionis hoc est „epitasis“ pro nodo totius actionis habetur, quem actus primus hoc est „protasis“ praeparat, undeque pars ultima id est „catastrophe“ emanat[205]).

[205]) Quae Ribbeckius, Gesch. der Röm. Dichtung I, p. 109 de ratione inter has tres partes et quinque actus intercedente statuit, ea plane respuenda esse per se patet. Cf. Leo, Plaut. Forsch. p. 210.

Addenda.

Ad p. 39 — 40.

Poetas post Euripidem florentes ad simpliciorem formam prologi quam tragicos veteres pervenisse fortasse e tragoediis Senecae concludere licet. Nam ex 8 eius tragoediae praebent 7 tragoediis (87%) in primo actu, qui, cum per introitum chori determinetur, plane prologo Aristotelico respondet, tantum unam scaenam; una (Phaedra: 13%) autem duas scaenas. Atque in primo actu tragoediarum poetarum posterioris aetatis pariter atque in prologo tragoediarum veterum continuam actionem personarum non observatam esse Senecae Phaedrae docet, cuius primus actus (v. 84) eam interruptam praebet.

Ad p. 42, 44.

In 7 Senecae tragoediis ($87^1/_2$%) primus actus, qui, ut paulo ante dixi, prologo trag. Graec. adaequatur, semper personarum abitu finitur, ita ut chori introitus in scaenam a personis vacuefactam fiat. Tantum in una tragoedia, Troad. ($12^1/_2$%), prologo finito scaena a personis non vacua est, quia ad parodum commaticam efficiendam Hecuba necessaria erat. Sed de hac re iam in ipsa dissert. satis dictum est. Itaque poetae posterioris aetatis praecipue parodum a choro solo cantatam usurpasse videntur.

Atque primum choricum, quo chorus apud Senecam in scaenam introducitur simulque primus actus ab altero disiungitur, pariter atque parodus Aristotelica etiam vestimentis mutandis sive speciei rei factae servandam sive utrique rei inservire potest. Ita primum choricum in duabus tragoediis (Herc. f. 125—201, Agam. 57—107) [25 %] ad vestimenta histrionum mutanda, in una (Phaedra 274—357) [$12^1/_2$%] ad speciem rei factae servandam, in duabus trag. (Thyeste 122 — 175, Herc. Oet. 104—172) [25%] ad utramque rem compositum esse vi

detur. In tribus tamen tragoediis (Troad. 67—163, Med. 56—109, Oed. 110—201) [$37^1/_2\%$] primum choricum tantum ad actus dividendos valet.

Ad p. 55—56.

Apud Senecam, ut prima cantica, quae parodo Aristotelicae aequantur, ita sequentia chorica, quae stasimo Aristot. respondent, fere semper in scaena a personis vacuefacta canuntur. Nam e 25 choricis, quae apud eum stasimis tragoediarum Graecarum adaequantur, tantum duo (8%) in scaena a personis non vacuefacta canuntur. Haec chorica sunt: Agam 807—866, ubi choro canente Cassandra in scaena versari videtur, Herc (fur.) 1053—1137, ubi choro canente Hercules, Amphytrio, Theseus in ssaena commorantur. Ergo poetae posterioris aetatis quam maxime chorum in scaena a personis vacuefacta cantica ad actus disiungendos canere volebant. Quae cum ita sint, verba Donatii, quae sine dubio ad tragicos posterioris aetatis spectant, in universum recte se habent, etiamsi ipsa accurate non premenda esse illa duo chorica, quae supra com memoravi, docent. Sed proferamus ipsa verba Donati: „est igitur attente animadvertendum, ubi et quando scaena vacua sit ab omnibus personis, ita ut in ea chorus vel tibicen obaudiri possint, quod cum viderimus, ibi actum esse finitum debemus agnoscere (Praef. Andr.)“.

Atque cantica post primum canticum posita apud Senecam pariter atque stasima tragoediarum Graecorum, praeterquam quod unam partem ab altera actionis histrionalis disiungunt, etiam ad vestimenta mutanda, ad speciem rei factae servandam ad utramque rem, adhibita esse videntur. Ex 25 choricis Senecae, quae stasimis Graecis respondent, 6 (24%) ad vestimenta mutanda, 9 (36%) ad speciem rei factae servandam, 4 (16%) ad utramque rem composita esse videntur. Restant ergo 6 chorica (24%), quae tantum ad actus seiungendos valent Singula chorica signis instructa invenies in appendice huic dissp. addita.

Ad p. 62—63.

Actus medii trag. Sen. aeque atque episodia trag. Gr. semper ab introitu histrionum incipiuntur atque per eorum abitum definiuntur: intercedit tamen inter ea id discrimen, quod apud Senecam paulo secus atque apud poetas Graecos actu finito semper omnes histriones scaenam relinquunt. Ex hac re-

gula excluduntur tantum duo actus: actus IV Herc. (fur.), ubi actu finito nullus abscessus histrionum fit; actus IV Agam., ubi post abitum e scaena Agamemnonis Cassandra porro in ea commoratur.

Quod ad rationem inter medios actus Senecae et numerum scaenarum intercedentem pertinet, fere eadem ratio observatur atque in episodiis Euripideis. Nam e 25 mediis actibus 8 (32%) ex una scaena, 17 (68%) e duabus et pluribus scaenis constant. Medios actus in scaenas divisos invenies in appendice huic libello addita.

Continua actio personarum in mediis actibus pariter atque in episodiis ubique animadvertitur, praeter Troad. act. II (v. 202) et Herc. Oet. act. II (v. 232). Inde fortasse concludi potest, poetas posterioris aetatis non consulto (ut poetas veteres) eam secutos esse. Tamen fortasse in Troad. act. II eius interruptio eo devitata erat, quod Talthybius etiam post v. 202 ut praeco prope duces in scaenam venientes versabatur. Similiter in actu II Herc. Oet. non interrupta esse potest si statuas, Iolen non simul cum introitu nutricis v. 232 scaenam reliquisse.

Ad p. 67—68.

Ultimi actus, qui manifesto exodo Aristotelicae adaequantur, semper ab introitu personarum pariter atque ceteri actus, incipiunt, praeter Herc. (fur.) act. V, qui ab Hercule expergiscente incipitur.

Ipsa scaenica conformatio ultimorum actuum apud Senecam multo simplicior esse videtur quam exodorum trag. Graecarum. Ex 8 ultimis actibus 5 ($62^1/_2$%) tantum unam scaenam, 3 ($37^1/_2$%) plures scaenas praebent.

Num interruptio continuae actionis personarum in ultimis actibus aeque atque in exodis Aristotelicis apud Senecam admissa sit, satis dubium est, quia tantum in ultimo actu Herc. Oet. (v. 1575) observatur.

Appendix
ad
conformationem scaenicam ac dramaticam
singularum tragoediarum
pertinens.

Notarum index.

* asteriscum addidi ad numeros versuum eorum choricorum, quae non sunt strophis composita.

( ) cancellis rotundis saepsi nomina earum personarum, quas choro canticum canente propter statum rerum in scaena manere oporteat.

[ ] cancellis angulatis inclusi nomina earum personarum, quae choro canente, quamquam sine actionis detrimento abire possunt, in scaena manent, quia statim post canticum agere debent.

d = choricum tantum ad duas partes actionis histrionalis disiungendas positum.

s = choricum tantum ad speciem rei factae servandam i. e. ad cursum temporis denotandum insertum.

v = choricum tantum propter vestimenta actorum mutanda compositum.

sv = choricum et ad cursum temporis denontandum i. e. ad speciem rei factae servandam et ad vestimenta actorum mutanda positum

i ascripsi huic versui, unde actio tota tragoediarum incipitur.

n significat eam scaenam, qua momentum actionis nectendae efficitur.

c denotat eam scaenam sive eam partem actionis histrionalis, qua momentum actionis convertendae adducitur.

m addidi ad eam scaenam, quae initium metabaseos h. e. solutionis primam partem praebet.

A) Aeschylus

1) Persae[206]).

1. πάροδος 1—142=1—65* canticum chori scaenam introeuntis, 66—142 canticum chori iam in ea astantis.

2. ἐπεισόδιον πρῶτον 143—550=2 scaenae: 143 i—248 Atossa; 249—550 n nuntius et Atossa.

3. στάσιμον πρῶτον 551—600 s.

4. ἐπεισόδιον δεύτερον 601—635=1 scaena: Atossa.

5. στάσιμον δεύτερον 636—682 d (Atossa).

6. ἐπεισόδιον τρίτον 683—853=1 scaena: Darius, Atossa.

7. στάσιμον τρίτον 854—910 v.

8. ἔξοδος 911—1077=1 scaena: Xerxes.

2) Supplices.

1. πάροδος 1—181=1—39* canticum chori scaenam introeuntis, 40—181 canticum chori in ea astantis.

2. ἐπεισόδιον πρῶτον 182—532=2 scaenae: 182 i—239 Danaus; 240—532 n rex Pelasgorum et Danaus

3. στάσιμον δεύτερον 533—607 s.

4. ἐπεισόδιον δεύτερον 608—637=1 scaena: Danaus.

5. στάσιμον δεύτερον 638—717 d (Danaus).

6. ἐπεισόδιον τρίτον 718—783=1 scaena: Danaus.

7. στάσιμον τρίτον 784—831 v.

8. ἔξοδος 832—1080=4 scaenae: 832—921 c praeco Aegypt.; 922—964 m rex Pelasgorum et praeco; 965—900 rex Pelasgorum et chorus 991—1084 Danaus[207]).

---

[206]) In distributione personarum inter histriones in Persis et Suppl. C. F. Hermanno „disput. de distr. etc., Marb. 1840“ p. 45—46 assentior.
[207]) Vide adn. 119 ad h. diss.

3) Prometheus[208])

1. πρόλογος 1—129=2 scaenae: 1 i—87 **n** Robur, Vis (κωφόν πρόσ.), Vulcanus, Prom.; 88 — 129 Promethei μέλος ἀπό σκηνῆς.

2. πάροδος commatica 130—208 **d** (Prometheus).

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 209—412=2 scaenae: 209—299 Prometheus; 300—412 Oceanus et Prometheus.

4. στάσιμον πρῶτον 413—451 **d** (Prometheus).

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 452—541=1 scaena: Prom.

6. στάσιμον δεύτερον 542—580 **d** (Prom).

7. ἐπεσόδιον τρίτον 581 — 912 = 1 scaena: Io, Prom.

8. στάσιμον τρίτον 913 - 938 **d** (Prom.).

9. ἔξοδος 939—1127=3 scaenae: 939 — 972 **c** Prom.; 973—1113 **m** Mercurius et Prom.; 1114—1127 Prom.

4) Septem.

1. πρόλογος 1—77=2 scaenae: 1—38 Eteocles et cives Cadmei; 39 i—77 **n** nuntius speculator et Eteocles.

2. πάροδος 78—164 **s**=78—105* canticum chori scaenam introeuntis, 106—164 canticum chori iam in ea astantis.

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 165—273=1 scaena: Eteocles.

4. στάσιμον πρῶτον 274—355 **s**.

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 356 — 706 **c**=1 scaena: Eteocles et nuntius speculator.

6. στάσιμον δεύτερον 707—776 **s**.

7. ἐπεισόδιον τρίτον 776—816 **m**=una scaena: nuntius.

8. στάσιμον τρίτον 817—846 **v**.

9. ἔξοδος 847 — 995 = 1 scaena: Antigona, Ismena[209]).

5) Agamemno[210]).

1. πρόλογος 1—21 i—39 **n**=1 scaena: custos.

---

208) De distributione pers. inter histriones in Prom. et Septem consentio cum Richter „die Verteilung der Rollen unter der Schauspieler der gr. Trag., Berlin, 1842", p. 33 et 29.

209) Cf. adn. 132 ad h. diss.

210) De distributione pers. inter histr. in Agam, Choeph. et Eum. vide Wilamowitzii Heracles I, p. 150².

2. πάροδος 40—269 s (Clytaem. a v. 83 in scaena)=40—103* canticum chori scaenam introeuntis, 104—269 canticum chori iam in ea astantis.

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 270—378=1 scaena: Clyt.

4. στάσιμον πρῶτον 379—493 d.

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 494—685=3 scaenae: 494—591 nuntius; 592—619 Clyt. et nuntius; 620—685 nuntius.

6. στάσιμον δεύτερον 686—773 v.

7. ἐπεισόδιον τρίτον 774—965=2 scaenae: 774—845 Agam.; 846—965 Clyt. et Agam.

8. στάσιμον τρίτον 966—1018 s [Cassandra].

9. ἔξοδος 1019—1673=5 scaenae: 1019—1055 Clyt. et Cass.; 1056—1341 c Cass; 1342—1370 m planctus Agam. ex interiore parte regiae; 1371—1576 Clyt.; 1577—1673 Clyt et Aegisthus.

6) Choephorae.

1. πρόλογος 1—21=1 scaena: Orestes, Pylades tacitus.

2. πάροδος 22—82 d (Electra).

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 83—582=2 scaenae: 83 i—210 Electra; 211—582 n Orestes et El.

4. στάσιμον πρῶτον 583—648 s.

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 649—778=3 scaenae: 649—663 Orestes et servus; 664—725 Clyt. et Orestes; 726—788 Cilissa.

6. στάσιμον δεύτερον 779—836 sv.

7. ἐπεισόδιον τρίτον 837—933=4 scaenae: 837—867 c Aegisthus; 868—873 m Aegisthi planctus ex interiore parte regiae; 874—890 Clyt. et servus; 891—933 Or., Pyl., Clyt.

8. στάσιμον τρίτον 934—970 s.

9. ἔξοδος 971—1074=1 scaena: Orestes.

7) Eumenides.

1. πρόλογος 1—142=3 scaenae: 1—63 Pythia; 64 i—93 n Appollo et Orestes; 94—142 Clyt. furias incitans.

2. πάροδος 143—178 d.

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 179—321=2 scaena: 179—234 Apollo; 235—321 Orestes.

4. στάσιμον πρῶτον 322—399 s (Orestes).

5 ἐπεισόδιον δεύτερον 400—492=1 scaena: Athena et Orestes.

6. στάσιμον δεύτερον 493—568 **s** (Orestes).

7. ἐπεισόδιον τρίτον 569 — 780 **c** = 1 scaena: Athena, Appollo, Orestes.

8. ἐπιρρηματικόν 781 seq. loco stasimi **d** [Athena] positum.

9. ἔξοδος 797—1047=2 scaenae: 797—995 **m** Athena; 996—1947 Athena, comites.

B) Sophocles.

1) Aiax [211])

1. πρόλογος 1—133=3 scaenae: 1—90 Athena et Ulixes; 91—117 Athena, Aiax, Ulixes tacens; 118—133 Athena et Ulixes.

2. πάροδος 134 — 200 **sv**=134—171* canticum chori scaenam introeuntis, 172—200 canticum chori iam in ea astantis.

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 201—595=2 scaenae: 201 — 332 Tecmessa; 333 **i**—595 **n** Aiax et Tecmessa.

4. στάσιμον πρῶτον 596—645 **s** [Aiax].

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 646—692=1 scaena: Aiax.

6. στάσιμον δεύτερον 693 —718 **s**.

7. ἐπεισόδιον τρίτον 719—865=3 scaenae: 719—783 **c**¹ nuntius; 784—814 **c**² Tecmessa et nuntius; 815—865 **m** Aiax.

8. ἐπιπάροδος 866—878 loco stasimi **d** posita.

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 879—1184=4 scaenae: 879—973 Tecmessa; 974—1046 Teucer (Tecmessa usque v. 987 in scaena permanere videtur); 1047 — 1167 Menelaus et Teucer; 1167—1184 Teucer et Tecmessa tacita.

10. στάσιμον τρίτον 1185=1222 **sv**, Tecmessa tacita.

11. ἔξοδος 1223—1419=4 scaenae: 1223—1315 Teucer et Agam.; 1316 — 1373 Ulixes, Teucer, Agam.; 1374 — 1401 Ulixes et Teucer; 1402—1419 Teucer.

---

211) In distributione pers. Aiacis inter histr. secutus sum Herm., l. l., p. 47.

2) Antigona [212]).

1. πρόλογος 1 i—99 n=1 scaena: Antigona et Ismena.

2. πάροδος 100—154 d.

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 155—331=2 scaenae: 155 — 222 Creo; 223—331 custos et Creo.

4. στάσιμον πρῶτον 332—375 s.

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 376—581=3 scaenae: 376 — 445 custos, Creo, Antig.; 446—525 Creo et Antig.; 526—581 Ism., Creo, Antig.

6. στάσιμον δεύτερον 582—625 sv [Creo].

7. ἐπεισόδιον τρίτον 626—780=2 scaenae: 626 — 765 Haemon et Creo; 766—780 Creo.

8. στάσιμον τρίτον 781—800 s.

9 ἐπεισόδιον τέταρτον 801—943=2 scaenae: 801 — 882 Antig.; 883—943 Creo, Ant.

10. στάσιμον τέταρτον 944—987 sv [Creo]

11. ἐπεισόδιον πέμπτον 988—1114 c=2 scaenae: 988 —1090 Tiresias et Creo; 1091—1114 Creo.

12 στάσιμον πέμπτον 1115—1154 s.

13. ἔξοδος 1115 1353=5 scaenae: 1155 — 1179 m nuntius; 1180—1243 Eurydica et nuntius; 1244—1256 nuntius; 1257—1276 Creo; 1277—1353 nuntius et Creo.

3) Oedipus Rex.

1. πρόλογος 1—150=2 scaenae: 1—84 Oedipus et sacerdos; 85 i—150 n Creo, Oed., sacerdos

2. πάροδος 150—215 d [Oed.].

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 216—462=2 scaenae: 216 — 315 Oed.; 316—462 Tiresias et Oed.

4. στάσιμον πρῶτον 463—511 s.

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 512—862=4 scaenae: 512 — 530 Creo; 531—633 Creo et Oed; 634—677 Iocasta, Creo, Oed.; 678—682 Oed. et Iocasta.

6. στάσιμον δεύτερον 863—910 s.

7. ἐπεισόδιον τρίτον 911—1085=4 scaenae : 911 — 923

---

212) Personae Antig., Oed. R., Trach., El., Phil. inter histriones distribuenda sunt, ut Richter l. l., p. 49, 51, 46, 48, 49 docet.

Iocasta; 924—949 nuntius et Iocasta; 1073—1085 nuntius et Oed.

8. στάσιμον τρίτον 1086—1109 **sv** [nuntius et Oedipus].

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 1110—1185 **c** = 1 scaena: Oed. nuntius, famulus Lai.

10. στάσιμον τέταρτον 1186—1222 **sv**.

11. ἔξοδος 1223—1296=3 scaenae: 1223—1296 **m** nuntius e domo; 1297—1415 Oedipus; 1416—1530 Creo et Oed.

4) Trachiniae.

1. πρόλογος 1—93=2 scaenae: 1—60 Deianira et famula; 61—93 Hyllus, famula, Deianira.

2 πάροδος 94—140 **d** [Deianira].

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 141—204=2 scaenae: 141 — 178 Deianira; 179 **i**—204 **n** nuntius et Deian.

4. στάσιμον πρῶτον 205—224 **d** [Deian.].

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 225—496=3 scaenae: 225 — 334 Lichas, Deian., nuntius; 335—392 Deian. et nuntius; 393—496 Lichas, nuntius, Deian.

6. στάσιμον δεύτερον 497—530 **s**.

7. ἐπεισόδιον τρίτον 531 — 632 = 2 scaenae: 531 — 597 Deian.; 598—632 Lichas et Deian.

8. στάσιμον τρίτον 633—662 **s**.

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 663—820 **c**=2 scaenae: 663—733 Deian.; 734—820 Hyllus et Deian.

10. στάσιμον τέταρτον 821—862 **s**.

11. ἐπεισόδιον πέμπτον 863—946 **m**=1 scaena: nutrix.

12. στάσιμον πέμπτον 947—970 **v**.

13. ἔξοδος 971—1278=1 scaena: Hyllus, senex, Hercules.

5) Electra.

1. πρόλογος 1—120=3 scaenae: 1—76 paedagogus et Orestes; 77—85 El., paedag., Or.; 86—120 Electrae μέλος ἀπὸ σκηνῆς.

2 πάροδος commatica 121—250 **d** [Electra].

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 251—471=2 scaenae: 251 — 327 El.; 328 **i**—471 **n** Chrysothemis et El.

4. στάσιμον πρῶτον 472—515 **d** [El.].

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 516—822=3 scaenae: 516 — 659 Clyt. et Electra; 660—803 paedag., Clyt., El.; 804 — 822 Electra.

6. κομματικόν 823—870 loco stasimi v (Electra) positum.

7. ἐπεισόδιον τρίτον 871—1057=1 scaena: El. et Chrysoth.

8. στάσιμον δεύτερον 1058—1097 d [El.].

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 1098—1383 c=2 scaenae: 1098 1325 Orestes, Pylades (κωφὸν πρόσ.), Electra; 1326 — 1383 paedag., Electra, Or.

10. στάσιμον τρίτον 1384—1397 s.

11. ἔξοδος 1398 — 1510 = 4 scaenae: 1398—1423 m El., planctus Clyt. ex interiore parte regiae; 1424—1441 Orestes, Pylades, El.; 1442—1465 Aegisthus et Electra; 1466 — 1510 Orestes, Aegisthus, El.

6) Philoctetes.

1. πρόλογος 1—134=1 scaena: Ulixes et Neoptolemus.

2. πάροδος commatica 135—218 d [Neoptolemus].

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 219—675=3 scaenae: 219 i—541 n Philoct. et Neopt.; 542—627 mercator, Phil., Neopt.; 628—675 Neopt. et Phil.

4. στάσιμον πρῶτον 676—729 s.

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 730—826=1 scaena: Philoct. et Neopt.

6. ἐπιρρηματικόν 827 — 854 loco stasimi s (Neopt. et Philoct.) positum.

7. ἐπεισόδιον τρίτον 855—1080 c=2 scaenae: 855—974 Phil. et Neopt.; 975—1080 Ulixes et personae scaenae antecedentis.

8. κομματικόν 1081—1217 loco stasimi s (Philoct.) positum.

9. ἔξοδος 1218—1471=4 scaenae: 1218—1260 m Neopt. et Ulixes; 1261—1300 Philoct., Neopt., Ulixes; 1409—1471 Hercules, Phil., Neopt.

7) Oedipus Coloneus[213]).

1. πρόλογος 1—116=3 scaenae: 1—32 Oed. et Antigona; 33—80 hospes, Oed., Antig.; 81—116 Oed. et Antig.

213) In distributione personarum Oed. Col. secutus sum Herm. l. l., p. 42.

2. πάροδος commatica 117—253 d (Oed. et Antig.).

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 254—509=2 scaenae: 254—323 Oed. et Antig.; 324 i—509 n Ism., Oed., Antig.

4. κομματικόν 510—548 loco stasimi v (Oedipus) positum.

5. ἐπεισόδιον πρῶτον 549—667=1 scaena: Theseus, Oed., Antig.

6. στάσιμον πρῶτον 668—719 v (Oed. et Antig.).

7. ἐπεισόδιον τρίτον 720—1043=3 scaenae: 720—846 Creo, Antig., Oed.; 847—885 Oed. et Creo; 886—1043 Theseus, Oed., Creo.

8. στάσιμον δεύτερον 1044—1095 sv (Oed.).

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 1096—1210=1 scaena: Antig., Ism., Theseus.

10. στάσιμον τρίτον 1211—1248 sv (Oed., Antig., Ismena tacita).

11. ἐπεισόδιον πέμπτον 1249—1555=3 scaenae: 1249—1446 Oed., Antig., Ism. tacita, Polynices; 1447—1499 c[1] Oed., Antig., Ism. tacita; 1500—1555 c[2] Theseus et personae scaenae antecedentis.

12. στάσιμον τέταρτον 1556—1578 sv.

13. ἔξοδος 1579—1779=3 scaenae: 1579—1669 m nuntius; 1670—1750 Antig. et Ism.; 1751—1779 Theseus, Antig., Ismena.

C) Euripides.

1) Alcestis[214]).

1. πρόλογος 1—76=2 scaenae: 1—27 soliloquium Apollinis; 28—76 colloquium Mortis cum Apolline.

2. πάροδος 77—135 d.

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 136—212=1 scaena: famula.

4. στάσιμον πρῶτον 213—237 s.

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 238 i—434 n=1 scaena: Admetus, Alcestis, Eumolpus.

6. στάσιμον δεύτερον 435—475 v.

---

214) Eandem distributionem personarum Alc., Med., Hipp., Hec., Androm., Heracl. inter histriones atque Richterus l. l. p. 75, 62, 63, 58, 64—65, 86 statui.

7. ἐπεισόδιον τρίτον 476—567=3 scaenae: 476 — 506 Hercules; 507—550 Admetus et Herc.; 551—567 Admetus.

8. στάσιμον τρίτον 568—605 s.

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 606—961=7 scaenae: 606—613 Admetus; 614—733 Admetus et Pheres; 734—746 Admetus; 747—772 famuli soliloquium; 773—835 c^1 Hercules et famulus; 836—860 c^2 Herculis soliloquium; 861—961 Admetus

10. στάσιμον τέταρτον 962—1005 d [Admetus].

11. ἔξοδος 1006—1163 m=1 scaena: Herc., Adm, Alcestis tacita.

2) Medea.

1. πρόλογος 1—130=3 scaenae: 1—48 soliloquium nutricis; 49—105 paedagogus, nutrix, pueri Medeae taciti, planctus I Medeae ex interiore parte regiae; 106 — 130 nutrix, planctus II Medeae.

2. πάροδος commatica 131—213 d [nutrix usque v. 204 in scaena, planctus III et IV Medeae].

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 214—409=3 scaenae: 214 — 268 Medea; 269 i—356 n Creo et Medea; 357—409 Medea.

4. στάσιμον πρῶτον 410—445 d [Medea].

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 446—626=1 scaena: Iason et Medea.

6. στάσιμον δεύτερον 627—662 d [Medea].

7. ἐπεισόδιον τρίτον 663—823=2 scaenae: 663—763= Aegeus et Medea; 764—823 Medea.

8. στάσιμον τρίτον 824—865 s [Medea].

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 866—975 e=1 scaena: Iason et Medea.

10. στάσιμον τετάρτον 976—1001 sv [Medea].

11. ἐπεισόδιον πέμπτον 1002—1250=4 scaenae 1002 — 1020 m Medea, paedagogus, pueri Medeae taciti; 1021—1115 Medea; 1116 — 1230 nuntius et Medea; 1231—1250 Medea.

12. στάσιμον πέμπτον 1251—1270 s.

13. ἔξοδος 1271—1419=3 scaenae: 1271—1292 planctus liberorum ex interiore parte regiae; 1293—1316 Iason; 1317—1419 Medea et Iason.

3) Hippolytus.

1. πρόλογος 1—120=3 scaenae: 1—57 soliloquium Veneris; 58—114 Hippolytus, comites, famulus; 115—120 famulus.

2. πάροδος 121—169 v.

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 170 i—524 n=1 scaena: Phaedra et nutrix.

4 στάσιμον πρῶτον 525—564 s (Phaedra).

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 565—731=4 scaenae: 565 — 600 Phaedra; 601—668 Hipp., nutrix, Phaedra; 669—709 Phaedra et nutrix; 710—731 Phaedra.

6. στάσιμον δεύτερον 732—775 s.

7. ἐπεισόδιον τρίτον 776—1101 c= 3 scaenae: 776—789 famulae vociferationes ex interiore parte regiae; 790 — 901 Theseus; 902—1101 Theseus et Hipp.

8. στάσιμον τρίτον 1102—1150 s.

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 1151—1267 m=1 scaena: nuntius et Theseus.

10. στάσιμον τέταρτον 1268—1281* sv [Theseus].

11. ἔξοδος 1282—1467=3 scaenae: 1282 — 1341 Diana et Theseus; 1342—1443 Hipp., Diana, Theseus; 1444 — 1466 Hipp. et Theseus.

4) Hecuba.

1. πρόλογος 1—97=2 scaenae: 1—58 soliloquium umbrae Polydori; 59—97 Hecubae μέλος ἀπὸ σκηνῆς.

2. πάροδος commatica 98—176* d [Hecuba].

3 ἐπεισόδιον πρῶτον 177—447=2 scaenae: 177 i—215 Hecuba et Polyxena; 216—447 n Ulixes, Hec., Polyx.

4. στάσιμον πρῶτον 448—483 sv (Hecuba).

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 484—628=1 scaena: Talthybius et Hec.

6. στάσιμον δεύτερον 629—656 s.

7. ἐπεισόδιον τρίτον 657—904 c=3 scaenae: 657—669 famula; 670—723 famula et Hec.; 724 — 904 Agam. et Hec.

8. στάσιμον τρίτον 905—951 sv [Hecuba].

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 952—1023 m=1 scaena: Polymestor et Hecuba.

10. στάσιμον τέταρτον 1024—1034* s.

11. ἔξοδος 1035—1295=3 scaenae: 1035—1043 Polymestor post scaenam; 1044—1108 Hec. et Polym.; 1109 — 1295 Agam., Hec., Polymestor.

5) Andromacha.

1. πρόλογος 1—116=3 scaenae: 1—55 soliloquium Andromachae; 56—90 colloquium Andr. cum famula; 91—116 soliloquium et θρῆνος Andromachae.

2. πάροδος 117—146 **d** (Androm.).

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 147 **i**—223 **n**=1 scaena: Hermiona et Androm.

4. στάσιμον πρῶτον 274—308 **d** (Androm.).

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 309—463=1 scaaena: Menelaus et Androm.

6. στάσιμον δεύτερον 464—492 **s**

7. ἐπεισόδιον τρίτον 493—765 **c**=3 scaenae: 493—544 Androm., Molossus, Menelaus; 545—746 Peleus, Menelaus, Androm., Molossus; 747—765 Peleus, Androm., Molossus.

8. στάσιμον τρίτον 766—800 **sv**.

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 801—1008=3 scaenae: 801—824 **m** nutrix; 825—878 Hermiona et nutrix, 879—1008 Orestes, Hermiona, nutrix.

10. στάσιμον τέταρτον 1009—1046 **sv**.

11. ἔξοδος 1047—1289=4 scaenae: 1047—1069 Peleus; 1070—1165 Peleus et nuntius; 1166—1225 Peleus; 1226—1288 Thetis et Peleus.

6) Heraclidae.

1. πρόλογος 1—72=2 scaenae: 1—53 soliloquium Iolai; 54—72 colloquium Iolai cum Copreo.

2. πάροδος commatica 73—110 **d** (Iolaus et Copreus).

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 111—352=3 scaenae: 111—119 Copreus et Iolaus; 120 **i**—287 **n** Iolaus Copreus, Demophon; 288—352 Iolaus et Demophon.

4. στάσιμον πρῶτον 353—380 **s** (Iolaus).

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 381—607=2 scaenae: 381—473 Iolaus et Demophon; 474—607 Iolaus, Demophon, Makaira.

6. στάσιμον δεύτερον 608—629 **v** (Iolaus).

7. ἐπεισόδιον τρίτον 630—747 **c**=4 scaenae: 630—645 Iolaus et famulus Hylli; 646—701 Alcm., Iolaus, fam.; 702—719 Alcm et Iolaus; 720—747 Iolaus, fam., Alcm

8. στάσιμον τρίτον 748—783 **sv** [Alcm.].

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 784—981 **m**=1 scaena: fam. et Alcm.

10. στάσιμον τέταρτον 892—927 **d** [Alcm.].

11. ἔξοδος 928—1055=1 scaena: famulus, Eurystheus, Alcm.

7) Hercules[215]).

1. πρόλογος 1—106=2 scaenae: 1—59 soliloquium Amphitr.; 60—106 Amphitr. et Megara.

2. πάροδος 107—137 **d** (Amph. et Megara).

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 138—347=2 scaenae: 138 **i**—335 **n** Lycus, Amph., Meg.; 336—347 Amph. et Meg.

4. στάσιμον πρῶτον 348—441 **s**.

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 442—636=2 scaenae: 442 — 523 Meg. et Amph., 523—636 Hercules, Meg. et Amph.

6. στάσιμον δεύτερον 637—700 **v**.

7. ἐπεισόδιον τρίτον 701—762 **c**=2 scaenae: 701—734 Amph. et Lycus; 735—762 Lyci planctus post scaenam.

8. στάσιμον τρίτον 763—813 **d**.

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 814—1015=3 scaenae: 814—873 **m** Iris et Lyssa; 874—908 Amphitrionis voces post scaenam; 909—1015 nuntius.

10. στάσιμον τέταρτον 1016—1038* **d**.

11. ἔξοδος 1039—1429=2 scaenae: 1039—1062 Amph. et Herc.; 1063—1428 Theseus, Herc., Amph.

8) Supplices[216]).

1. πρόλογος 1—41 soliloquium Aethrae.

2. πάροδος 42—86 **d** (Aethra et Adrastus).

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 87 **i**—364 **n**=1 scaenae: Theseus, Aethra, Adrastus.

4. στάσιμον πρῶτον 365—380 **s**.

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 381—597=2 scaenae: 381—398 Theseus et Adrastus tacens; 399—597 Theseus, praeco Theban., Adrastus.

---

215) De distributione pers. Herculis inter histriones vide Wilam. Heracles I, p. 151².

216) Ita personas Suppl., Troad., Iphig. Taur., Ionis, El., Hel. distribui, ut Richter l. l. p. 88, 84, 71, 69, 70, 67 vult.

6. στάσιμον δεύτερον 598—633 sv (Adrastus).

7. ἐπεισόδιον τρίτον 634—777 c=1 scaena: nuntius et Adrastus.

8. στάσιμον τρίτον 778—793 s.

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 794—954=2 scaenae: 794—836 m Adrastus; 837—954 Theseus et Adrastus

10. στάσιμον τέταρτον 955—979 s.

11. ἔξοδος 980—1234=6 scaenae: 980—1008 Euadne; 1009—1075 Iphis et Euadne; 1076—1113 Iphis; 1114—1164 pueri; 1165—1082 Theseus et Adrastus; 1083—1233 Athena, Theseus, Adrastus.

9) Troades.

1. πρόλογος 1—152=3 scaenae: 1—47 soliloquium Neptuni; 48—97 colloquium Athenae cum Neptuno; 98—152 Hecubae μέλος ἀπὸ σκηνῆς.

2. πάροδος 153—229 d=153—196 colloquium inter Hecubam et chorum scaenam introeuntem, 197—229 canticum chori iam in ea astantis [Hecuba].

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 230—510=3 scaenae. 230 i — 307 n Talthybius et Hecuba; 308—461 Cass., Talthybius, Hec.; 462—510 Hecuba.

4. στάσιμον πρῶτον 511—567 v [Hecuba].

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 568—798=2 scaenae: 568—708 Andr., Hec., Astyan. tacitus; 709—798 Talth., Androm, Hec, Astyan. tacitus.

6. στάσιμον δεύτερον 799—859 v [Hecuba].

7. ἐπεσόδιον τρίτον 860 — 1059=2 scaenae: 860—894 Menelaus et Hecuba; 859—1059 Helena et personae scaenae antecedentis.

8. στάσιμον τρίτον 1060—1117 v [Hecuba].

9. ἔξοδος 1118—1333=4 scaenae: 1118 — 1155 Talth. et Hecuba tacens; 1156—1259 Hecuba; 1260—1286 Talth. et Hec.; 1287—1333 Hecuba.

10) Iphig. Taur.

1. πρόλογος 1—122=2 scaenae: 1—66 soliloquium Iphig.; 67—122 colloquium Orestis cum Pylade.

2. πάροδος commatica 123—235* v [Iphigenia].

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 236—391=2 scaenae: 236 **i**—343 **n** pastor et Iphig.; 344—391 Iphigeniae soliloquium.

4. στάσιμον πρῶτον 392—455 **sv**.

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 456—642=1 scaena: Iphig., Orestes, Pylades tacens.

6. κομματικόν 643—657* loco stasimi **d** [Orestes et Pyl.] positum.

7. ἐπεισόδιον τρίτον 658—1088 **c**=2 scaenae: 658—724 Orestes et Pylades; 725—1088 Iphig., Orestes et Pyl.

8. στάσιμον δεύτερον 1089—1151 **v**.

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 1152—1233 **m**=1 scaena: Iphig. et Thoas.

10. στάσιμον τρίτον 1234—1283 **s**.

11. ἔξοδος 1284—1499=3 scaenae: 1284—1306 nuntius; 1307—1434 Thoas et nuntius; 1435—1499 Athena et Thoas.

11) Ion.

1. πρόλογος 1—183=2 scaenae: 1—81 Mercurii soliloquium; 82—183 Ionis μέλος ἀπὸ σκηνῆς.

2. πάροδος 184—236 **d** (a v. 219 commatica) [Ion].

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 237—451: 3 scaenae=237 **i**—400 Creusa et Ion; 401—428 **n** Xuthus, Creusa, Ion; 429—451 Ion, Creusa tacens

4. στάσιμον πρῶτον 452—509 **s**.

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 510—675=2 scaenae: 510—516 Ion; 517—675 Xuthus et Ion.

6. στάσιμον δεύτερον 676—724 **v**.

7. ἐπεισόδιον τρίτον 725—1047 **c**=1 scaena: famulus.

8. στάσιμον τρίτον 1048—1105 **sv**.

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 1106—1228 **m**=1 scaena: famulus.

10. στάσιμον τέταρτον 1229—1249* **d**.

11. ἔξοδος 1250—1624=5 scaenae: 1250—1260 Creusa; 1161—1319 Creusa et Ion; 1320—1368 Pythia, Ion, Creusa tacens; 1369—1552 Ion et Creusa; 1553—1622 Athena, Ion, Creusa.

12) Electra.

1. πρόλογος 1—166=4 scaenae: 1—53 agricolae solilo-

quium; 54 — 81 colloquium Electrae cum agricola; 82 — 110 Orestis oratio; 111—166 Electrae μέλος ἀπὸ σκηνῆς.

2. πάροδος commatica 167—212 d [Electra].

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 215—431=3 scaenae: 215 i—338 n Electra, Orestes, Pylades tacitus; 339—440 Electra, Orestes, agricola; 400 —431 agric. et El.

4. στάσιμον πρῶτον 432—486 sv.

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 487—698=2 scaenae: 487 — 552 senex et Electra; 553—698 senex, Orestes, Electra.

6. στάσιμον δεύτερον 699—746 sv.

7. ἐπεισόδιον τρίτον 747—858 c=2 scaenae: 747—760 Electra; 761—858 nuntius et Electra.

8. ἐπιρρηματικόν 859—879 loco stasimi d [Electra] positum

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 880—1146=2 scaenae: 880—987 m Orestes et Electra; 988—1146 Electra et Clyt.

10. στάσιμον τέταρτον 1147—1164 s.

11. ἔξοδος 1165 —1358=3 scaenae: 1165 — 1170 Clyt voces post scaenam; 1171—1231 Orestes et Electra; 1232 — 1358 Orestes, Electra, Gemini.

13) Helena.

1. πρόλογος 1—178=3 scaenae: 1 — 67 soliloquium Helenae; 68—166 colloquium Helenae cum Teucro; 167 — 178 Helenae μέλος ἀπὸ σκηνῆς.

2. πάροδος commatica 179—251 d [Helena].

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 252—514=4 scaenae: 252 — 385 Helena; 386 i—435 n Menelai soliloquium; 436 - 432 anus et Menelaus; 483—514 Menelaus.

4. ἐπιπάροδος 515—527* loco stasimi d (Menelaus) posita.

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 528 - 1106=5 scaenae: 528—596 Menelaus et Helena; 597 — 757 nuntius Menelaus, Helena; 758—864 Menel. et Hel; 1030—1101 Menel. et Hel.

6. στάσιμον πρῶτον 1007—1164 v (Menelaus).

7. ἐπεισόδιον τρίτον 1165 — 1300 c=2 scaenae: 1165—1185 Theoclym. et Menel. abditus; 1186—1300 Hel., Theocl., Menel.

8. στάσιμον δεύτερον 1301— 1368 s

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 1369—1450=3 scaenae: 1369 -

1389 m Helena; 1390—1440 Theocl. Helena, Menel. tacens; 1441—1450 Men. et Hel. tacens.

10. στάσιμον τρίτον 1451—1511 sv.

11. ἔξοδος 1512—1682=3 scaenae: 1512—1618 nuntius et Theocl.; 1619—1641 Theocl.; 1642—1692 Gemini et Theocl.

14) Phoenissae[217]).

1. πρόλογος 1—201=2 scaenae: 1—87 Iocastae soliloquium; 88—201 paedagogus et Antigona.

2. πάροδος 202—260 v.

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 261—637=3 scaenae. 261 i—300 Polynices; 301—445 Iocasta et Polynices; 446—637 n Eteocles, Iocasta, Polyn.

4. στάσιμον πρῶτον 638—689 v.

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 690—783=1 scaena: Eteocles et Creo.

6. στάσιμον δεύτερον 784—833 v [Creo].

7. ἐπεσόδιον τρίτον 834—1017 c=3 scaenae: 834—959 Tir., Creo, Menoec.; 960—990 Creo et Menoeceus; 991—1017 Menoec.

8. στάσιμον τρίτον 1018—1066 v.

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 1067—1283=2 scaenae: 1067—1263 m nuntius et Iocasta; 1264—1283 Antig. et Ioc.

10. στάσιμον τέταρτον 1284—1306 v.

11. ἔξοδος 1307—1766=5 scaenae: 1307—1334 Creo; 1335—1479 Creo et nuntius; 1480—1538 Antig. et fortasse Creo tacens; 1539—1682 Antig., Oed., Creo, 1683—1766 Antig. et Oed.

15) Orestes.

1. πρόλογος 1—139=3 scaenae: 1—70 soliloquium Electrae; 71—125 Helena et Electra; 126—139 Electra.

2. πάροδος commatica 140—207 d [Electra].

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 208 i—315 n=1 scaena: Electra et Orestes.

4. στάσιμον πρῶτον 316—347 v [Orestes].

---

[217]) In distributione personarum Phoen., Or., Bacch. inter histriones assentior Hermanno l. l., p. 54, 85.

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 348—806=4 scaenae: 348—469 Orestes et Menelaus; 470—631 Tyndareus, Or., Menel.; 632—728 Or. et Menel.; 729—806 Pyl. et Or.

6. στάσιμον δεύτερον 807—843 sv.

7. ἐπεισόδιον τρίτον 844—1352 c=7 scaenae: 844—851 Electra; 852—959 nuntius et Electra; 960 — 1012 Electrae μέλος ἀπὸ σκηνῆς; 1013—1245 Or., Pyl., El.; 1246 — 1295 Electra; 1296—1310 Helenae voces post scaenam et Electra; 1311—1352 Hermiona et Electra.

8. στάσιμον τρίτον 1353—1365 sv.

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 1366—1536=2 scaenae: 1366—1505 m Phryx; 1506—1536 Phryx et Orestes.

10. στάσιμον τέταρτον 1537=1548 d.

11. ἔξοδος 1549—1693=3 scaenae: 1549—1566 Menelaus; 1567—1624 Menel. et Orestes; 1625—1693 Apollo, Menel., Orestes.

16) Bacchae.

1. πρόλογος 1—63=1 scaena: Bacchi soliloquium

2. πάροδος 64—169 v.

3. ἐπεισόδιον πρῶτον 170—369=2 scaenae: 170 i—214 Tiresias et Cadmus; 215—369 n Pentheus, Tir., Cadmus.

4. στάσιμον πρῶτον 370—432 sv.

5. ἐπεισόδιον δεύτερον 434—518 = 1 scaena: famulus, Bacchus, Pentheus.

6. στάσιμον δεύτερον 519—575 s.

7. ἐπεισόδιον τρίτον 576—861 c=4 scaenae: 576—641 Bacchus; 642—659 Pentheus et Bacchus; 660 — 786 nuntius Pentheus, Bacchus; 787—861 Pentheus et Bacchus.

8. στάσιμον τρίτον 862—911 s.

9. ἐπεισόδιον τέταρτον 912—976 m=1 scaena: Pentheus et Bacchus.

10. στάσιμον τέταρτον 977—1023 s

11. ἔξοδος 1024—1392=5 scaenae: 1024—1164 nuntius; 1165—1215 Agave; 1216—1329 Cadmus et Agave; 1330—1351 Bacchus, Cadmus, Agave; 1352—1392 Cadmus et Agave.

D) Seneca.

1) Hercules [furens][218]).

Actus I 1—124=1 scaena: soliloquium Iunonis.

Χορικόν 125—201= v.

Actus II 202—523=2 scaenae: 202 i—328 Amphytrio, Megara, liberi Herculis taciti; 329—523 n Lycus et personae scaenae antecedentis.

Χορικόν 524—591 v.

Actus III 591--829=2 scaenae: 591—640 c Amphitryo, Hercules, Theseus, Megara tacens, liberi taciti; 641—829 Theseus, Amphitryo, Meg. tacens.

Χορικόν 830—894 d.

Actus IV 895—1054 m=1scaena: Hercules, Amphitryo, Megara, Theseus tacens.

Χορικόν 1055—1137 (Amph. et Theseus) s.

Actus V 1138—1344=1 scaena: Hercules, Amphitryo, Theseus.

2)* Troades[219]).

Actus I 1—66=1 scaena: soliloquium Hecubae.

Κομματικόν 67—163 loco chorici d (Hecuba) positum.

---

[218]) Si comparamus finem actus IV cum initio actus V huius tragoediae, fieri non potest, quin statuamus, personas inter 4 histriones distribuendas esse et ita quiudem: histrio I=Amphitryon : histrio II=Lycus, Hercules; histrio III=Megara, Iuno; histrio IV = Theseus. Tamen in hac tragoedia pariter atque in ceteris Senecae tragoediis poeta eam regulam secutus est, ut in una eademque scaena non plures quam tres personae loquantur. Inde satis explicatur, cur in nonnullis Senecae scaenis quatra persoua tacita sit, etiamsi aliquid loqui debere videatur, veluti Megara in actu III Herc. (fur), Cass. in actu IV Troad. et alibi. Unica exceptio ex hac regula occurit in ultima scaena actus V Agam Sen. 981—1012, ubi quattuor personae non solum adsunt, sed etiam agunt: Aeg., El., Clyt., Cass.— Ipsa regula inde orta esse videtur, quod poetae Graeci veteres non plures quam 3 histriones usurpare solebant. Atque si verba Horatiana „nec quarta loqui persona laboret (v. 192 A P)' ad ipsum Neoptolemum Parianum rediguntur, ista regula primum a poetis Pleiadis Alexandrinorum constituta atque observata esse videtur. Cf. Weil Etudes sur le drame antique, Paris 1897, p. 305.

[219]) Etiam in hac tragoedia personae inter quattuor histriones distribuendas esse videntur, quia post v. 523 senem in scaena porro permansisse satis verisimile est. Huc accedit, quod sub fine actus IV ad Helenam, Androm., Hec. agentes Pyrrhus tacitus accedit. Inde hanc distribu-

Actus II 164—370=2 scaenae: 164 i—202 Talthybius; 203—370 n Pyrrhus, Agam, Calchas, fortasse Talthybius tacens.

Χορικόν 371—408 v.

Actus III 409—813=2 scaenae: 409—523 Androm., senex, Astyanax; 524—813 Ulixes, Androm., fortasse etiam senex tacens.

Χορικόν 814—860 v.

Actus IV 861—1008=1 scaena: Helena, Andromacha, Hecuba, Polyxena tacita, sub fine scaenae etiam Pyrrhus nihil loquens.

Χορικόν 1009—1055 sv.

Actus V 1056—1179=1 scaena: nuntius, Hecuba, Androm

3) Medea [220]).

Actus I 1—55=1 scaena: soliloquium Medeae.

Χορικόν 56—109 d.

Actus II 110—300=2 scaenae: 110 i—178 Medea et nutrix; 179—300 n Creo, Medea, nutrix tacens.

Χορικόν 301—379 s.

Actus III 380—579=3 scaenae: 380—430 nutrix et Medea; 431—559 c¹ Iason, Medea, nutrix tacita; 560—579 c² Medea et nutrix tacita.

Χορικόν 580—669 s.

Actus IV 670—847=2 scaenae: 670—739 m nutrix; 740—848 Medea, nutrix nihil loquens, sub fine scaenae liberi Medeae taciti.

Χορικόν 848—878 s.

Actus V 879—1027=3 scaenae: 879—890 nuntius, Medea et nutrix nihil loquentes; 891—977 nutrix et Medea; 978—1027 Iason, Medea, nutrix tacens.

---

tionem personarum inter histriones statui: histrio I = Hecuba, Calchas senex; histrio II=Pyrrhus, Ulixes; histrio III=Agam., Androm; histrio IV =Talthybius, nuntius, Helena. Accedunt: Assyanax et Polyxena=parachoregemata.

220) In hac tragoedia facile personae inter tres histriones hunc in modum distribui possunt: histrio I=Medea; histrio II=nutrix; histrio III=Creo, Iason, nuntius

4) Phaedra[221]).

Actus I 1—278=2 scaenae: 1—84 Hippolyti canticum; 85—273 Phaedra et nutrix.

Χορικόν 274—357 **s**.

Actus II 358—735=4 scaenae: 358 **i**—386 nutrix; 387—430 Phaedra et nutrix; 431—582 **n** Hippolytus et nutrix; 583—735 Phaedra, Hippol., nutrix.

Χορικόν 736—823 **v**.

Actus III 824—958 **c**= 2 scaenae: 824—863 Theseus et nutrix; 864—958 Phaedra, Theseus, nutrix tacita.

Χορικόν 959—988 **sv**.

Actus IV 989—1122 **m**=1 scaena: nuntius et Theseus.

Χορικόν 1123—1153 **s**.

Actus V 1154—1280= 1 scaena: Theseus et Phaedra.

5) Oedipus[222]).

Actus I 1—109=1 scaena: 1—81 soliloquium Oedipi, 82—109 colloquium Oedipi cum Iocasta.

Χορικόν 110—201 **d**.

Actus II 202—402=2 scaenae: 202 **i** — 287 **n** Creo et Oedipus; 288—402 Tiresias, Manto, Oedipus, Creo tacitus.

Χορικόν 403—508 **s**.

Actus III 509—708=1 scaena: Oed. et Creo.

Χορικόν 709—763 **d**.

Actus IV 764—881=3 scaenae: 764 — 783 Oedipus et Iocasta; 784—842 senex Corinthius, Oedipus, Iocasta tacita; 843—881 **c** Phorbas, senex Corinthius, Oedipus, Iocasta tacita.

Χορικόν 882—914 **s**

Actus V 915—979 **m**=1 scaena: nuntius.

Χορικόν 980—994 **d**.

Actus VI 995—1061=Oedipus et Iocasta.

---

221) Item personae huius tragoediae inter tres histriones distribuendae sunt: histrio I=Phaedra; histrio II=Hipp, Theseus; histrio III = nutrix, nuntius.

222) Ex actu II apparet, personas huius tragoediae inter 4 histriones distribuendas esse. Atque ita eas distribui: histrio I=Oedipus; histrio II= Manto, Iocasta; histrio III=Tiresias, Phorbas; histrio IV = Creo, Senex, Corinthius, nuntius.

6) Agamemnon[223]).

Actus I 1—56=1 scaena: soliloquium umbrae Thyestis.

Χορικόν 57—107 **v**.

Actus II 108—309=3 scaenae: 108 **i**—124 Clytaemnestra; 125—225 **n** nutrix et Clyt; 226—309 Aegisthus, Clyt., nutrix tacita.

Χορικόν 310—407 **d**.

Actus III 408—588=1 scaena: Eurybates et Clyt.

Χορικόν 589—658 **d**.

Actus IV 659—806=2 scaenae: 659—781 Cassandra et chorus captivarum; 782—807 Agam. et Cassandra.

Χορικόν 807—866 (Cass.) **s**.

Actus V 867—1012=4 scaenae: 867—909 Cassandra; 910—952 Electra, Strophius, Cass. nihil loquens. Orestes tacitus; 953—980 Clytaem., Electra, Cass. nihil loqens; 981—1012 Aegisthus, Electra, Clyt., Cass.

7) Thyestes[224]).

Actus I 1—121=1 scaena: Tantali umbra et Furia.

Χορικόν 122—175 **sv**.

Actus II 176—335=1 scaena bipertita: 176 **i**—204 soliloquium Atrei, 205—335 **n** colloquium satellitis cum Atreo.

Χορικόν 336—403 **v**.

Actus III 404—545 **c**=2 scaenae: 404—490 Thyestes, Tantalus, Plisthenes tacitus; 491—545 Atreus, Thyestes, Tantalus nihil loquens, Plisth. tacitus.

Χορικόν 546—622 **sv**.

Actus IV 623—788 **m**=1 scaena: nuntius.

Χορικόν 789—884 **d**.

Actus V 885—1112=1 scaena: Atreus et Thyestes.

---

223) Personas huius tragoediae inter 4 histriones distribuendas esse ultima scaena actus V (981—1019) docet Atque ita confeci ipsam distributionem: histrio I=Aegisthus, Strophius, Agam.; histrio II=umbra Thyestis, Clyt.; histrio III=Electra, Eurybates; histrio IV=Cassandra, nutrix.

224) Personae huius tragoediae sine ulla difficultate inter tres histriones sic distribuuntur: histrio I=Thyestes, satelles, Tantali umbra; histrio II=Atreus, Furia; histrio III=nuntius, Tantalus.

8) Hercules Oetaeus[225].

Actus I 1—103=1 scaena: Hercules, Lichas tacitus.

Χορικόν 104—172 sv.

Actus II 173—581=3 scaenae: 173 i—232 Ioles canticum; 233—255 nutrix, fortasse etiam Iole nihil loquens; 256—581 n nutrix, Deianira, sub fine scaenae Lichas tacitus.

Χορικόν 582—699 s.

Actus III 700—1030 c=2 scaenae: 700—741 Deianira et nutrix; 741—1030 Hyllus, Deianira, nutrix.

Χορικόν 1031—1127 v.

Actus IV 1128—1517=3 scaenae: 1128—1336 m Hercules; 1337—1418 Alcmena et Hercules; 1419—1517 Hyllus, Alcmena, Hercules, Philoctetes tacitus.

Χορικόν 1518—1606 sv.

Actus V 1606—1997=3 scaenae: 1606—1757 nuntius; 1758—1939 Alcmena et Hyllus; 1940—1995 vox Herculis, Alcmena, Hyllus nihil loquens.

---

[225]) Etiam personas Herc. Oet. inter tres histriones facile distribuuntur, et ita quidem: histrio I=Hercules, nutrix, nuntius; histrio II = Deianira, Alcmena; histrio III=Lichas, Hyllus, Iole.

Conspectus libelli.

Vita.

Natus sum, Demetrius Detscheff, Svistovi, in oppido Bulgariae, a. d. V Kal. Sept. anni saeculi praeteriti LXXVII patre Ferdinando, matre Iosephina e gente Vaszilcsin. Fidei addictus sum Graeco Catholicae.

Gymnasia frequentavi prius Philippolitanum, alterum Sardicense, ubi aestate anni XCVI testimonium maturitatis adeptus sum. Autumno anni XCVII inter universitatis Lipsiensis cives receptus studiis philologicis et philosophicis sex semestria dedi. Autumno autem anni XCIX migravi Gottingam, ut in Academia Georgia Augusta per septem semestria studia propagarem.

Docuerunt me Brugmann, Elster, Heinze, Immisch, Lamprecht, Leskien, Lipsius, Marx, Ribbeck (†), Volkelt, Wachsmuth Lipsienses; Baumann, Dilthey, Kaibel (†), Leo, Müller, Schwartz, Wentzel Gottingenses.

Quibus omnibus viris doctissimis gratias quam maximas semper habebo, praecipue vero **Leoni**, qui summa cum benignitate huius dissertationis progressum persecutus est.